L. XXVIII 24

41002/B

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30452879



Iacob Andreas Fridrich sc. Aug. Vind.

PHARMACO-POEIA ARGENTORATENSIS,

INCL. SENATVS

JVSSV PVBL.

A

COLLEGIO MEDICO

ADORNATA.

ARGENTORATI,

Sumptibus JOHANNIS REINHOLDI DULSSECKERI.

M. DCC. XXV.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

42600

PERILLUSTRI

ET

EXCELLENTISSIMO

VIRO,

DN. JO. BAPTISTÆ

DE

KLINGLIN,

REGIS CONSILIARIO,

ET

CIVITATIS REGIÆ

ARGENTORATENSIS

PRÆTORI

REGIO,

Verwijderd K. B.

KONINKL. BIBLIOTHEEK TE 'S HAGE.

UT

UT ET

INCLYTO EJUSDEM CIVITATIS

MAGISTRATUI,

VIRIS

GENEROSISSIMIS, GENEROSIS, NOBILISSIMIS, MAGNIFICIS, MAXIME STRENUIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS, CONSULTISSIMISQUE,

DOMINIS

PRÆTORIBUS,

CONSULIBUS,

TREDECEMVIRIS, QUINDECIMVIRIS, XXI.VIRIS,

TOTIQUE

SENATUI

SPLENDIDISSIMO,

PATRIÆ

PATRIBUS AC PATRONIS

BENIGNISSIMIS, MUNIFICENTISSIMIS,

Prodit

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

PRodit in apricum ſub felicisſimis auſpiciis *Veſtris*, MECOENATES GRATIOSISSIMI, Pharmacopoea hæc noſtra, quæ *Vobis* merito debet eſſe ſacrata. Sub *Veſtro* etenim ductu faventisſimo, placidisſimaque tutela maximam partem, quicquid eſt hujus opellæ, effectum fuit. Præcipue tamen ſumme provida iſta cura, Perilluſtris Domine PRÆTOR REGIE, qua *Tua Excellentia* pro publica univerſæ *Patriæ* ſalute indefeſſo ſtudio adeo eminenter præfulget, omnibus encomiorum elogiis deprædicanda eſt. Quippe quæ quam maximum toti negotio, pro emendanda apud nos re pharmacevtica inſtituto, pondus addidit. *Tuo* enim ſaluberrimo conſilio, & gratioſisſimo mandato officinæ pharmacevticæ penitius inſpectæ, mercesque earum, & vaſa accuratius examinatæ fuerunt; Sed & exinde, ut juſtum extaret mercium, laborumque pretium, conſtitutum, & ſub auctoritate publica

Inclyti MAGISTRATVS typis exſcriptum fuit documentum. Vnde & profluxit, ut & pro uſu publico Diſpenſatorium, ut vocant, extaret, utilitati & commodo communi, nimirum ut medicamenta, quæ dicuntur, compoſita, prorſus ad unum eundemque modum, adeoque certam præſcriptam normam in omnibus officinis conficerentur; Jure ergo meritoque Labor iſte noſter *Veſtrum*, MECOENATES, Patrocinium implorat. Suſcipite modo, PATRES PATRIÆ Conſcripti, & PATRONI Gratioſisſimi, hocce *Collegii noſtri Medici* opus pro conſueta gratia *Veſtra, Veſtroque Præſidio* clementer tueri, ne dedignemini. Ita vivite, & valete, PATRES, incolumes, ſoſpites, felices, *Veſtroque* Patrocinio nosmet, ceu Medicos, & Cives *Veſtros* quam enixiſſime commendatos habere, non deſiſtite, qui, cum ſolennisſimis votorum pro felicisſimo regimine, inconcuſſa ſanitate, omnigenaque proſperitate formulis, omni ſtudio ſumus, atque manemus

ILLVSTRIVM & MAGNIFICARVM AMPLITVDINVM VESTRARVM

Clientes Obſequioſiſſimi
DECANVS, & CÆTERI COLLEGII
MEDICI DOCTORES.

NOMINA D. D. MEDICORVM COLLEGIVM MEDICVM ARGENTORATENSE CONSTITVENTIVM.

D. JO. VALENTINVS SCHEID, Argentoratenſis, Facultatis Medicæ in Vniverſitate Senior, & Pathologiæ Profeſſor, Civitatis-Archiater, & Collegii DECANVS perpetuus.

D. MARCVS MAPPVS, Argentoratenſis hoc anno Collegii Prodecanus.

D. JOANNES SALZMANN, Argentoratenſis Anatomiæ & Chirurgiæ Profeſſor.

D. JOANNES BOECLERVS, Argentoratenſis Botanicæ & reliquæ Materiæ Medicæ Profeſſor.

D. JO. JACOBVS SACHS, Argentoratenſis Phyſicæ Profeſſor.

)( )(D. JO.

D. JOANNES BRAVN, Argentoratenſis.

D. JO. JACOBVS MOSSEDER, Argentoratenſis Noſocomii Medicus.

D. JOANNES HECKHELER, Argentoratenſis.

D. JO. FRIDERICVS STÆDEL, Argentoratenſis.

D. JO. CONRADVS FRANCK, Hohenweiſelio Haſſiacus.

D. JO. DANIEL KOLB, Argentoratenſis.

D. JOANNES SAINTLO, Seleſtadienſis.

D. FRANCISCVS BALTASAR von LINDERN, Buxovillanus.

D. MATTHIAS GLOXIN, Colmarienſis.

D. JO. GEORG THENN, Argentoratenſis.

D. JO.

D. JO. JACOBVS ROEDERER, Argentoratenſis.

D. JO. DANIEL BILGER, Argentoratenſis.

D. JOANNES GOLL, Argentoratenſis.

D. JOANNES SAMVEL SILBERRAD, Argentoratenſis.

D. JOANNES JACOB MARBACH, Argentoratenſis.

D. JOANNES HENRICVS BOECLERVS, Argentoratenſis.

D. ABRAHAM KVBLER, Argentoratenſis.

D. JOANNES HAAN, Argentoratenſis.

D. JO. JACOBVS FRID, Argentoratenſis.

D. JO. CASPAR MVSTINGER, Argentoratenſis.

D. JO. GEORGIVS NOTTER, Argentoratenſis.

D. JO. NICOLAVS GROSHOLZ, Badenſis.

D. GEORGIVS HENRICVS EISENMANN, Argentoratenſis.

D. FRANCISCVS ANTONIVS de HASSELT, Hagenoënſis.

D. JO. DANIEL REISSEISEN, Argentoratenſis.

D. JOANNES GAMBS, Argentoratenſis.

Ξ Θ!

Ξ Θ !

DECANVS
ET
COLLEGIVM MEDICVM
ARGENTORATENSE
LECTORI

Benevolo

S. P. P.

VTut nobis, iſtam PHARMACOPOEAM, ſeu, ut vulgo vocant, Diſpenſatorium in lucem emittentibus, & forſitan haud immerito, objici queat, nosmet, uti inter eruditos ſermo eſt, velut poſt Homerum Iliadem conſcribere velle, cum tot jam extent ab experientiſſimis, celeberrimisque Medicis, nec mi-

nus in arte exercitatiſſimis Pharmacopoeis editæ Pharmacopoeæ, Diſpenſatoria, Antidotaria, & ſub aliis titulis evulgata, circa medicamentorum compoſitionem volumina, non ſolum Medicis, Pharmacopoeisque, & Chirurgis nota, ſed & imprimis quæ in vernaculam traducta, aut in eadem conſcripta ſunt, vulgo non incognita. Veruntamen, cum ipſa ars pharmacevtica tot quotidie acceſſiones faciat, ubi de die in diem nova eidem ſimplicia dicta medicamenta pariter, ac compoſita accreſcunt, præſertim in magnis, & populo exundantibus urbibus, in quibus iſte tot hominum veluti fluxus & refluxus, uti novas merces, ita & nova medicamenta quotidie invehit; omnino e re eſt, ut quantum iſta valeant, probe examinentur. Nempe ubi indigenæ ab itineribus reverſi æque, ac accolæ, & advenæ ſubinde experimenta aliarum urbium, & regionum jactitant: Imprimis noſtro hoc ævo, quando nunc incognita patribus medicamina multa

ORTUS ET OCCASUS, SEPTENTRIO MITTIT, ET AUSTER.

Ne quid dicatur de morbis, non quidem omnino novis, ab iſto tamen hominum confluxu frequentioribus, quam Patrum atque Avorum ætate erant, & periculoſioribus redditis, quibus, ut obviam irent medici, omnino multa, quæ non usque adeo Majorum ævo in uſu erant medicamenta adhibere, coacti fuerant. Quæ cum ita ſint, operæ pretium omnino viſum eſt, Pharmacopoeam quoque pro noſtra potiſſimum urbe, in qua ſanitati tuendæ, & curandis morbis, ut & docendæ Medicinæ occupati degimus, adornare, quæ Pharmacopoeis noſtris, ceu norma, juxta quam ipſi medicamenta præ-

pa-

paranda, atque componenda haberent, inſervire poſſet, inprimis ubi INCLYTI SENATUS CIVITATIS JUSSUS publicus, qui, Auctore præcipue ILLUSTRI *DNO. PRÆTORE REGIO*, pro provida ea, qua publicæ ſaluti provehendæ prælucet, cura, gratioſe mandavit, ut non ſolum præſidentibus e ſplendidiſſimo COLLEGIO QUINDECEMVIRALI AMPLISSIMIS DOMINIS DEPUTATIS ab *aliquot e Collegio noſtro nominatis Medicis* Officinæ Pharmacevticæ, quam fieri poſſet accuratiſſime viſitarentur, atque examinarentur, verum etiam catalogus omnium proſtantium medicamentorum cum taxatione, ut loquuntur, eorundem conficeretur, quo, quid Pharmacopoei venundarent,publice omnibus conſtare poſſet. Cum vero labore iſto defungi non potuerimus, citra, quam quod ad trutinam omnes omnium medicamentorum præparatorum officinalium dictorum compoſitiones examinarentur, ſponte velut, in iſtud negotium,quo Diſpenſatorium publice extans conficeretur, delati ſumus. Laboravimus itaque per undecim fere menſes ex eo tempore, quo ſupra dictus Catalogus prodiit, qui ab INCLYTO SENATU nominati fuimus, nosmet *quatuor Medici*, adſcitis quoque e ſingulis officinis Pharmacopoeis,donec opus iſtud abſolvimus, atque in univerſum Collegis cæteris ad approbandum prælegimus, atque communicavimus. Id nunc auſpiciis prælaudati INCLYTI SENATUS ſub nomine *Collegii noſtri*, faxit DEUS ut feliciter, evulgamus. In eo quid præſtitum ſit,non multis verborum lenociniis prolixe commendabimus, cum omnibus æquioribus rerum æſtimatoribus facile patere poteſt, quis, qualis, & quantus labor iſte

fuerit;

ſuerit; Contenti maxime, ſi non tam aliis placeat, quam publicæ ſaluti utilis evadat. Vale, *LECTOR* benevole, & iſti noſtro labori haud gravatim fave.

Cæterum prolegomena, inſtitutiones pharmacevticas quam maxime continentia ſtudio omiſimus, quippe quæ in aliis Diſpenſatoriis abunde tradita inveniuntur. Quod ſupereſt, benevolus Lector nobis quoque vitio non vertet, quod in vulgo dictis compoſitionibus, in quibus Pharmacopoeam Auguſtanam ſecuti fuimus, nos ejus præciſe uſi fuerimus verborum formulis. Inde nec dubitamus, exprobrari nobis non poſſe, terminis, utut non usque adeo Latinis, & interdum barbariem, Literatis dictam, ſonantibus, in foro tamen Medico, imprimis circa labores pharmacevticos occupato, receptis nos uſos fuiſſe, cum, ubi Univerſitatis ſtudiorum vulgo dictæ ſplendore Urbs noſtra coruſca eſt, purioris Latinitatis nitor, & Græcæ elegantiæ ſtudium quam maxime eminere deberet; quod quidem per Dei gratiam, & Majorum noſtrorum providentiam, Optimatumque præſentium ſavorem, & adhuc apud nos citra vanæ gloriæ notam ſat vivide floret. Scilicet, non ignari, ex Græcorum Σακχάροπος confectum barbaris ſeculis vocem Syrupus, & ἔκλειγμα in Electuarium eſſe converſum, aliaque id genus plura corrupta fuiſſe, maluimus, ut intelligeremur, loqui cum vulgo, ſentire nihilominis cum eruditis.

CLASSIS

CLASSIS PRIMA
ACETA
COMPLECTENS.

ACETUM DESTILLATUM.

VAriis deſtillatur Acetum modis : quidam ex veſica, cucurbitis terreis aut vitreis, alii ex Maris balneo deſtillant. Compendioſius meliuſque per Retortam igne arenæ inſtituitur Aceti deſtillatio. Recipe nimirum Acetum Vini bonæ notæ quantum ſufficit & inde Retortæ, ita ut tertia circiter pars vacua remaneat, immitte deinde Retortam in Catinum arena repletum , adapta recipiens vitrum & leni igne deſtillationem inchoa, ſic ab initio deſtillabit pars aquoſior. Quando Phlegma jam prodiit, id quod quidam tanquam inutile ſed male rejiciunt , lutandæ vaſorum juncturæ & ignis fortius urgendus, ſic Spiritus Aceti albiſſimi elevabuntur. Ubi circiter tres partes exſtillarunt, & in Retorta apparet ſubſtantia melliformis, tunc ab operatione ceſſandum ; alias namque ſi ad ſiccitatem Acetum abſtraheretur, vix aut nunquam delebile empyreuma contraheret liquor deſtillatus. Acetum tali modo rectificatum, ſub Aceti ſtillatitii, Aceti deſtillati, Spiritus Aceti & Spiritus Aceti ignei nomine venit. Id quod in fundo Retortæ mellis inſtar ſub forma liquoris ſaturatius tincti & ex flavo rubeſcentis remanſit, quodque à quibusdam Aceti radica-

dicati nomine inſignitur, ſuppeditat non ſolum Cryſtallos quasdam tartareas, ſed & igne aperto in Spiritum penetrantiſſimum, at ob ſummum empyreuma non amplius uſurpari ſolitum & oleum nigrum deſtillari poteſt. Ex capite mortuo per incinerationem, diſſolutionem, filtrationem atque evaporationem ſal Alkali fixum, ſali Tartari non admodum diſſimile extrahitur: ſunt qui Acetum deſtillatum denuo ſed male affundunt ſæpiuſque deſuper cohobant, donec omne ſal fuerit diſſolutum & tunc vocant Acetum radicatum atque alcaliſatum, majoribuſque virtutibus imbutum eſſe ſed falſo putant.

Inſervit potiſsimum Acetum deſtillatum ad variorum corporum ſolutiones inſtituendas, ut & ad mixtorum quorundam virulentiam corrigendam. Refrigerat, humores tumultuantes demulcet, ſitim ſedat, Hæmorrhagias narium compeſcit, venenorum Anditotum eſt: præterea reſolvit quoque & incidit. Deſtillatur autem Acetum ut depuretur à partibus tartareis atque crudioribus, utque ſubtilius reddatur ac durabilius, ſimplex enim ſæpe vappeſcit, dum deſtillatum incorruptibile eſt. Bene notat Iüngken, quod ſi quæ præparationes cum Aceto inſtitui neceſſe habent, quæ evaporari debent, requiratur Acetum deſtillatum, ſimplex namque ſi evaporatur, tinctam relinquit remanentiam. Sic etiam ſi infuſa expetuntur ſubtiliora ac durabiliora, Acetum deſtillatum in uſum veniat.

ACETUM BEZOARDICUM MYNSICHTI.

℞. Radicis Scorzoneræ,
Angelicæ,
Dictamni albi ana unciam unam,
Tormentillæ,
Zedoariæ,
Enulæ Campanæ ana unciam ſemis,
Camphoræ drachmam unam ſemis.

Pulveriſatis & mixtis affunde Spiritus Vini & Aceti Vini Sambucini ana ad ſex digitorum ſupereminentiam, ſtent in vitro optime clauſo, donec perfecte tingantur; poſtea filtrentur & ad uſum reſerventur.

Acetum hoc tanta juxta Authorem virtute pollet, ut unciæ ſemis vel unius pondere vel per ſe, vel pari cujuſque aquæ cordialis quantitate potum, Peſti mirifice opituletur & infectos vel à quocunque animali ictos vel demorſos cum adſtantium admiratione à longo veluti ſomno excitet & integræ ſanitati reſtituat. Valet etiam contra omnia venena (ſed non corroſiva & acida) hauſta ſive per os ſumpta, nec non cor majorem in modum roborat, & omnes ſpiritus recreat. Præſervandi gra-

tia

tia cochlear dimidium ſumitur, curandi vero datur ab uncia dimidia ad unciam unam ex aqua Cardui benedicti, Hirundinariæ, Scordii vel ſimili &c. Spongia quoque hoc Aceto inebriari in pyxide geſtari & naribus offerri poteſt.

Proſtant apud nos etiam alia ACETORUM Medicatorum genera utpote

CALENDULÆ.
LAVENDULÆ.
MENTHÆ.
PAPAVERIS ERRATICI.
ROSARUM.
RUBI IDÆI.
RUTÆ.
SAMBUCI.
TUNICÆ.

Aceta per infuſionem parata ex Aceto æque ſimplici ac deſtillato parari poſſunt, durabiliora ſunt quæ fiunt ex deſtillato, efficaciora autem quæ fiunt ex ſimplici.

ACETUM SAMBUCINUM.

℞. Florum Sambuci libram unam,
Aceti acerrimi libras octo,

In vaſe vitreo inſolentur per octodecim vel viginti dies. Cola deinde & ſerva. Eodem modo & reliqua Acetorum genera parari poſſunt.

ACETUM SCILLITICUM.

℞. Scillæ præparatæ libram unam,
Aceti acerrimi libras octo.

Digerantur per aliquot dies, poſtea filtrentur.

Hodie utplurimum in affectibus aſthmaticis & in obſtructione bronchiorum ad mucum crasſiorem reſolvendum & ad expectorationem vias aperiendum uſurpatur. Pro potione doſis eſt uncia ſemis ad uncias duas, miſcetur quoq; cum aliis aquis deſtillatis. Notandum etiam quod vim purgantium refrænet.

ACETUM THERIACALE AUGUSTANORUM.

℞. Radicis Chelidonii majoris unciam unam,
Angelicæ,
Oſtrutii,
Gentianæ,
Biſtortæ,
Valerianæ,
Pimpinellæ,
Dictamni albi,
Carlinæ,
Zedoariæ ana drachmam unam,
Plantaginis majoris drachmam unam ſemis,
Foliorum Scordij,
Cardui Benedicti,
Dictamni Cretici ana pugillos duos,
Corticis & Seminis Citri ana drachmam unam ſemis,
Granorum Juniperi drachmas duas,
Nucleorum Nucum Juglandium uncias duas,
Santali citrini drachmam ſemis,

Infundantur omnia in Aceti Rutacei libris quatuor, atque ſic in vitro probe clauſo infuſa permaneant.

Morbis venenatis auxiliatur, putredinem humorum arcet, ſudores prolicit, peſtilentis luis contagia disſipat: præſumptum ab infectione corpus tuetur, ac peſte correptos tam interne exhibitum quam forinſecus arteriarum & cordis regioni ſuperimpoſitum plurimum reficit.

CLASSIS SECVNDA
AQUAS COMPOSITAS
CONTINENS.

AQUA ACUSTICA.

℞. Radicis Leviſtici,
Herbæ Roriſmarini,
Florum Lavendulæ ana manipulum unum,
Baccarum Lauri,
Caſtorei,
Camphoræ ana drachmas duas,
Spiritus Juniperi libram unam.

Stent invicem mixta donec Spiritus Eſſentia probe ſit imprægnatus, tunc

℞. Salis Armoniaci unciam ſemis,
Urinæ volatilis drachmas duas,
Olei Juniperi drachmam ſemis,

Probè invicem tritis affunde Spiritum Eſſentia dictarum ſpecierum imprægnatum, ac ſic ſtent ad uſum.

Eritque ſic ſal ſive Spiritus oleoſus viribus ſufficienter inſtructus ad reſerandas obſtructiones meatus auditorii.

AQUA ANHALTINA SCHROEDERI.

℞. Terebinthinæ electæ libram ſemis,
Thuris maſculi unciam unam,
Ligni Aloës pulveriſati uncias tres,
Granorum Maſtiches,
Caryophyllorum,
Nuciſtæ,
Cubebarum,
Cinamomi ana drachmas ſex,
Croci Orientalis drachmas duas ſemis,
Seminis Fœniculi,
Baccarum Lauri ana unciam ſemis,

Pulveriſata infundantur in Spiritus Vini libris quinque, digerantur per ſex dies, hinc deſtillentur ex Balneo Maris & quod

quod clarum eſt ſeparetur à turbido, ſic habebis Aquam Anhaltinam incompletam. Proſtat etiam completa quæ fit Moſchi in petia ligati grana quindecim imponendo Alembici roſtro aut injiciendo liquori deſtillato, quod melius eſt, quam ſi Moſchus una deſtilletur, ſicuti etiam haud inepte quis faciet, ſi lignum quoque Aloes in liquore ſpirituoſo prolecto tantummodo infundat.

Aqua hæc ob vim ingredientium balſamicam & ſpirituoſam nauſeabundum licet ſaporem aliquantiſper conciliantium adhiberi poterit in iis affectibus, ubi ſanguinis motu majore opus, tonuſque roborandus & viſcera confortanda: hinc externe & interne locum habet in Catarrhis & doloribus à cauſa, uti loquuntur, frigida exortis, in Arthritide vaga, Paralyſi, Apoplexia, Epilepſia, Tremore, Lethargo, Vertigine, in Animi deliquiis, affectibus Ventriculi à cruditate acida & viſcida præſertim productis, in flatibus, in Colica, variiſque affectibus uterinis, ut & certo reſpectu in calculo, vim enim diureticam obtinet. In odontalgia quoque conducet, ſi una aut altera gutta denti cavo inſtilletur. Interne datur per ſe ad unciam ſemis & ultra pro ratione circumſtantiarum, vel miſcetur cum aliis; externè membra eadem foventur.

AQUA APOPLECTICA.

℞. Herbæ & Florum Salviæ uncias octo,
Majoranæ,
Serpilli ana unciam unam,
Florum Liliorum Convallium uncias tres,
Lavendulæ,
Anthos ana uncias duas,
Cinamomi electi unciam unam ſemis,
Cubebarum unciam ſemis,
Caryophyllorum drachmas tres;
Macis drachmas duas,
Infunde in Vini albi generoſi libris quatuordecim per plures dies, poſtea deſtilla.

Vires ex nomine patent, & ob ſal volatile oleoſum in aliis quoque affectibus ſoporoſis & ſimilibus exhiberi poterit. Datur cochleatim vel per ſe vel cum aliis mixta.

AQUA ARTHRITICA AUGUSTANORUM.

℞. Florum Chamæmeli,
Foliorum Pulegij,
Lavendulæ,
Majoranæ ana unciam unam,
Roriſmarini uncias tres,
Salviæ,
Chamæpityos,
Myrrhæ optimæ ana uncias duas,
Caryophyllorum,

Cinamomi ana drachmas duas,
Radicis Pæoniæ unciam ſemis,
Pyrethri,
Cyperi rotundi,
Ireos Illyricæ ana drachmam unam ſemis,
Cardamomi minoris,
Cubebarum ana drachmam unam,
Nucis Moſchatæ unciam ſemis,
Infundantur in libris quatuor Spiritus Vini rectificati, ſtentque in infuſione vaſe probè clauſo per dies quatuordecim. Poſtea deſtillentur.

Aqua externo potisſimum uſui dicata tremulis, paralyticis ac pareſin é colica perpesſis auxilio eſt, frigidis articulorum morbis opitulatur, nervos roborat & juncturis virium jacturam reſarcit.

AQUA ASTHMATICA.

℞. Radicis Enulæ uncias duas,
Ireos Florentinæ unciam unam ſemis,
Herbæ Hyſſopi,
Pulmonariæ,
Salviæ hortenſis ana manipulum unum,
Seminis Aniſi,
Fœniculi,
Cinamomi acuti ana unciam ſemis,
Cardamomi drachmas duas,
Croci ſcrupulos duos,
Spiritus Vini libras tres,
Aquæ Scabioſæ,
Tuſſilaginis,
Veronicæ ana libram ſemis,
Digerantur per triduum, tum deſtillentur.

Aſthmati potisſimum dicata Aqua unde & nomen habet, ſed ei præſertim ſuccurrit, quod ex craſſis pituitoſiſque humoribus ortum trahit. Haud infrequenter tamen etiam hæc Aqua ſpirituoſa uſurpatur in ſic dicta Intemperie Ventriculi frigida, Anorexia, Dyſpepſia, flatibus, Colica &c. Datur cochleatim, cochlear ſcilicet unum aut alterum.

AQUA SIVE BALSAMUM EMBRYONUM.

℞. Nucis Moſchatæ uncias tres ſemis,
Caryophyllorum,
Cinamomi
Zingiberis,
Cubebarum,
Granorum Paradiſi,
Zedoariæ ana uncias duas,
Macis unciam unam ſemis,
Galangæ drachmas ſex,
Croci drachmas duas,
Florum Tiliæ uncias ſex,
Lavendulæ,
Tunicæ,
Herbæ Salviæ,
Fœniculi ana uncias tres,
Menthæ criſpæ,
Radicum Pæoniæ,
Semi-

Seminum ejuſdem,
Carvi,
Viſci querni ana uncias duas,
Inciſa & contrita infundantur per viginti quatuor horas in loco calido in
Vini generoſi menſuris quatuor,
Aquæ Borraginis,
Bugloſſi ana menſura una ſemis,
Florum Liliorum convallium menſura una,
Fragorum,
Roſarum ana menſura dimidia,
Poſtea leni calore deſtillentur.

Aqua hæc ſpirituoſa commendatur fœminis, quæ ſæpius abortum paſſæ ſunt, itemque gravidis, ubi a ſubito terrore aut alia cauſa langueſcunt, Lipothymias, dolores & tormina ventris atque inflationes in eis perſanat, infirmum fœtum roborat (unde nomen traxit) quin etiam parturientes in enixu adjuvat viresque reficit. Uſurpatur interne ad aliquot cochlearia, externe eadem fovendo Uterum & Abdomen. Supernatat huic Aquæ Oleum quod exinde ſeparari poteſt & ad dictos uſus uſurpari.

AQUA BROMBACENSIS.

℞. Herbæ Salviæ nobilis uncias octo,
Betonicæ,
Pulegii,
Hyſſopi,
Saturejæ,
Petroſelini ana unciam ſemis,
Origani,
Majoranæ ana unciam unam,
Florum Roſarum rubrarum uncias duas,
Lavendulæ,
Foliorum rutæ,
Radicis Caryophyllatæ ana unciam unam,
Pimpinellæ,
Valerianæ,
Oſtrutii,
Baccarum Juniperi ana unciam unam.

Omnia groſſo modo contundantur & infundantur in Spiritus Vini Rectificatiſſimi menſuris tribus per tres dies in leni calore: poſtea deſtillentur & in Spiritu deſtillato infundantur
Nucis Moſchatæ,
Macis ana uncia ſemis,
Cinamomi,
Caryophyllorum ana uncia una,
Cubebarum.
Cardamomi,
Granorum Paradiſi,
Galangæ minoris,
Piperis longi,
nigri,
Zinziberis ana uncia ſemis,
Croci Orientalis drachma una,

Calami Aromatici,
Zedoariæ ana uncia ſemis,
Baccarum Lauri,
Foliorum Lauri,
Seminis Coriandri ana uncia ſemis,
Aniſi uncia una ſemis,
Cumini,
Carvi,
Nigellæ,
Radicis Diptamni albi ana uncia ſemis,
Theriacæ Andromachi uncia ſemis,
Rhabarbari electi drachma una,
Corticum Aurantiorum,
Granatorum ana uncia ſemis,
Sacchari roſati uncia una
Rhapontici uncia ſemis,
Poſt infuſionem quindecim dierum deſtilla & deſtillato liquori immiſce
Sacchari albiſſimi uncias duas ſemis,
Ambræ Gryſeæ &
Moſchi ana grana quatuor,
Camphoræ drachmam unam,
Miſce & ſerva uſui.

Commendatur tanquam Antapop ectica, Antepileptica, Cordialis & Stomachica: datur cochleatim tum præſervative tum curative.

AQUA CARBUNCULI AUGUSTANORUM.

℞. Florum Roriſmarini,
Liliorum convallium,
Violarum,
Borraginis ana uncias tres,
Lavendulæ unciam unam,
Herbæ Majoranæ,
Salviæ,
Nucis Moſchatæ,
Macis,
Zingiberis,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Galangæ,
Baccarum Juniperi,
Viſci querni,
Seminis Pæoniæ ana unciam ſemis,
Cardamomi unciam unam,
Vini Generoſi,
Aquæ Roſarum,
Fragorum,
Lavendulæ ana libras tres,
Fiat infuſio per octiduum in loco tepido, poſtea ſecundum artem deſtillatio. Liquori deſtillato, ſplendoris vulgo expetiti cauſa, aliquot foliola Auri præſertim uſus tempore immergi ſolent.

Aqua Carbunculi ab Auguguſtanis hoc modo correcta, ſale volatili oleoſo imprægnata & ſpirituoſa, externe & interne uſurpari poterit ubicunque calefaciendum

dum roborandumque; hinc inter Aquas Cephalicas, Cordiales atque Uterinas refertur, commendaturque cochleatim præſertim in terrore: extrinſecus creber ejus uſus eſt in Epithematibus cordis ac pulſuum, in Catarrhis frigidioribus, paralyticis membris, Cephalalgia: frequenter ad fœtum debilem confortandum hac Aqua fovetur abdomen & uterus.

AQUA CARMINATIVA SCHROEDERI.

℞. Florum Chamomillæ Romanæ manipulos triginta.
Incidantur & contundantur, infundantur per horas viginti quatuor in
Aquæ Chamomillæ libris quindecim,
Vini generoſi libris ſex.
Hinc exprime fortiſſime, in colatura iterum infundantur horis viginti quatuor alii flores Chamomillæ communis, manipuli ſcilicet viginti quatuor, exprimantur, colentur, in colatura vero macerentur
Florum Chamomillæ manipuli duodecim,
Flavedinis Corticum Aurantiorum uncia una ſemis,
Herbæ Abſinthii Pontici manipuli duo,
Centaurii minoris,
Pulegij,
Origani ana manipuli duo ſemis,
Seminis Anethi unciæ tres,
Aniſi,
Fœniculi ana uncia una ſemis,
Carvi,
Cumini,
Cardui Benedicti,
Mariæ,
Baccarum Juniperi,
Lauri ana uncia ſemis,
Stent horis viginti quatuor, tunc leni Maris Balnei calore deſtillentur.

Spirituoſa hæc Aqua magnarum ab Authore dicitur eſſe virtutum in morbis à flatibus ſubortis, e. gr. paſſione colica, inflatione & ſimilibus; præter vim enim Carminantem poſſidet quoque vim aliqualem Paregoricam. Doſis uncia ſemis & ultra. Optandum tamen eſſet ut Chamomilla gratiorem largiretur ſaporem.

AQUA CEPHALICA BOECLERI.

℞. Foliorum Roriſmarini cum floribus libram unam ſemis ponderis civilis,
Florum Liliorum convallium manipulos quatuor,
Macis,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum ana unciam unam,
Vini optimi menſuras ſex,
Spiritus Vini menſuram ſemis,
Facta digeſtione, deſtillatione proliciatur Aqua. Ad libram hujus Aquæ addatur Sacchari pro

edulcoratione uncia una ſemis.

Paucis quidem ex ingredientibus conſtat, nihilominus ſale volatili oleoſo, ſexui quoque ſequiori non adverſo, turget, convenit in affectibus Capitis, Cephalalgia, Clavo affectibus ſoporoſis &c. nec in paſſionibus hyſtericis ultimum occupat locum: cochleatim ab uno ad duo exhibetur cochlearia.

AQUA CINAMOMI BUGLOSSATA.

℞. Cinamomi acuti libram ſemis,
Florum Bugloſſi unciam unam ſemis,
Aquæ Bugloſſi menſuras tres.
Poſt debitam digeſtionem inſtituatur deſtillatio.

Cordialis, Stomachica atque Carminativa eſt, datur ad unum aut alterum cochleare.

AQUA CINAMOMI CYDONIATA.

℞. Succi Cydoniorum libras tres,
Cinamomi electi uncias duas ſemis,
Fiat per triduum infuſio, & tum deſtillatio.

Cordialis æque ac prior, imprimis autem commendatur in affectibus Ventriculi & Inteſtinorum ubi roborandū & adſtrictione opus eſt; in Anorexia, Apepſia, Nauſea, Vomitu, Diarrhæa, Dyſenteria Cholera, ſimilibusque affectibus commendatur. Datur vel per ſe ad unum aut alterum cochlear, vel aliis intermiſcetur mixturis.

AQUA CINAMOMI CUM VINO.

℞. Cinamomi electi & groſſo modo contuſi libram ſemis,
Vini albi generoſi quantum ſufficit,
Deſtillentur ſecundum artem in Maris Balneo.

Hæc ex Aquis Cinamomi maxime ſpirituoſa in morbis à cauſa ſic dicta frigida enatis confert, calefacit & roborat viſcera, pituitam & flatus incidit atque diſcutit, nauſeam ſiſtit, digeſtionem promovet & colicæ medetur. Refocillat egregie, in affectibus ſoporoſis conducit, ſicuti quoque menſes & partum promovet, inque variis Uteri affectibus locum habet, modo reſpiciatur ad idioſyncraſiam. Doſis cochlear unum aut alterum.

AQUA CONFORTATIVA USITATA AUGUSTANORUM.

℞. Aquarum Ceraſorum nigrorum,
Roſarum,
Borraginis,
Bugloſſi,
Florum Violarum ana uncias ſex,
Cinamomi optimi unciam unam ſemis,
Margaritarum præparatarum ſcrupulos duos,
Coralliorum alborum drachmam unam,
Cornu Cervi uſti ſcrupulos quatuor,

Sac-

Sacchari perlati uncias quinque.
Miſce ad Vitrum pro uſu.

Hanc plebi mulierculisque tantopere decantatam de faſtigio ſuo velle dejicere eſſet crabrones irritare. Adhibent quippe in omni debilitate & languore virium, Spiritus enim, uti loquuntur, animales puriores reddit, ſenſuum internorum & externorum organa reficit, atque ita quaſi generale confortans omni ætati, ſexui & morbo accomodatum exiſtit remedium. Quanta vis confortans & reſtaurans exinde ſit expectanda ſaniores facile judicant. Exhibetur cochlea tim.

AQUA CORDIALIS FRIGIDA MYNSICHTI.

℞. Conſervæ Roſarum rubrarum libram unam ſemis,
Fructuum Rubi Idæi libram unam,
Specierum Diarrhodon Abbatis,
Diamargariti frigidi ana unciam unam ſemis,
Seminis Oxalidis unciam unam,
Santalorum omnium ana unciam ſemis,
Florum Cordialium ana drachmas duas,
Miſce & infunde in aquarum ſequentium
Aquæ Acetoſellæ,
Nymphææ,
Fragorum,
Violarum,
Borraginis,
Bugloſſæ ana libra una.
Mixta digerantur per aliquot dies, poſtea iterum adde
Aquæ Cinamomi Bugloſſatæ libram unam ſemis,
Succi depurati Cydoniorum,
Limonum,
Citri ana libram ſemis,
Denuo miſce & in Maris Balneo per Alembicum abſtrahe.

Magnæ multæque virtutes in viribus reſtaurandis cordeque roborando, præſertim in Febribus ardentibus aliisque morbis calidis huic aquæ ab Authore adſcribuntur. Quam egregia ſit hæc compoſitio ſicut plures aliæ Mynſichtianæ, quamque accuratè regulæ bonæ compoſitionis ſint obſervatæ, vel Tyro facile perſpiciet, interim eandem retinere jusſit, quod jam diu ejus uſus apud plures ſit receptus. Doſis ab uncia una ad duas.

AQUA CORDIALIS TEMPERATA COMPLETA ET INCOMPLETA AUGUSTANORUM.

℞. Cinamomi acutiſſimi uncias tres,
Corticum Citri exteriorum unciam ſemis,
Ligni Aloës optimi drachmas duas,
Santali citrini unciam ſemis,

Seminis Ocimi caryophyllati drachmas tres,
Galangæ,
Caryophyllorum,
Macis,
Nucis Moſchatæ ana drachmam unam ſemis,
Cardamomi drachmas tres,
Florum Lavendulæ drachmam unam,
Borraginis unciam unam,
Roſarum uncias duas ſemis,
Anthos unciam ſemis,
Croci Auſtriaci ſcrupulos duos,
Typharum ſucculentarum Cornu Cervi junioris & recenter capti uncias quatuor.
Inciſa & trita infundantur in
Vini Generoſi,
Succi Pomorum redolentium, é Rubo Idæo ana libra una,
Aquarum Borraginis,
Bugloſſi ana libra una ſemis,
Roſarum libris duabus ſemis,
Ceraſorum nigrorum,
Meliſſæ ana libra ſemis,
in vaſe vitreo probè clauſo diebus octo: deinde in Balneo deſtillentur; in cujus liquoris media parte infundantur
Ambræ gryſeæ veræ,
Moſchi Orientalis ana grana ſeptem.
Reliqua medietas ſervetur incompleta.

Commendatur hæc Aqua in ſubito virium lapſu pro Cerebro & Corde roborando. Exhibetur apoplecticis, epilepticis, cardiacis & ſyncopticis. Inſuper analeptica eſt & ex morbis diuturnis convaleſcentes inſigniter roborat viresque corporis univerſi reſtaurat. Datur ad aliquot cochlearia.

AQUA CORNU CERVI CITRATA WALDSCHMIDII.

℞. Raſuræ Cornu Cervi uncias ſex,
Pomorum Citri cum corticibus & ſeminibus numero quatuor.
Infunde per tres dies in
Aquæ Roſarum,
Scabioſæ,
Acetoſæ,
Cardui Benedicti,
Meliſſæ,
Scordii ana libris tribus.
Poſtea deſtilla.

Analeptica deprædicatur & æſtum ſedans, vires quoque eidem alexipharmacæ adſcribuntur. Exhibetur cochleatim aliisque mixturis immiſcetur.

AQUA COSMETICA BOECLERI.

℞. Ovorum recentium numero viginti,
Coque ad duritiem & remotis vitel-

vitellis albumina minutim conſcinde, poſteaque adde
Albuminum Ovorum recentium non coctorum libras duas,
Terebinthinæ libram dimidiam,
Mellis uncias octo,
Styracis liquidæ unciam unam,
Benzoin uncias duas,
Aquæ Roſarum pallidarum uncias decem,
Deſtilla per veſicam aut, quod melius eſt, per alembicum in Balneo Maris ad ſiccitatem. Aquam exſtillantem ſerva, &, ſi placuerit, ſingulis libris aquæ quatuor grana Moſchi adde.

Virtutes hujus Aquæ, quæ externe uſurpatur, ex uſu patent, faciem nitidam atque claram reddit & à maculis variisque puſtulis liberat. Materiam reſiduam in alembico deſtilla per retortam, tunc tranſibit liquor turbidus ac fœtens, cui ſupernatat oleum magnarum virtutum in curandis vulneribus, mitigandiſque doloribus, à frigore exortis, caput quoque confortat & membra roborat uſu ſuo externo.

AQUA COSMETICA FLACHII.

℞. Aquæ Fabarum,
Sigilli Salomonis,
Liliorum alborum,
Roſarum albarum, ana unciam unam,
Florum ſulphuris ſcrupulum unum,
Magiſterii Marcaſitæ drachmam ſemis,
Camphoræ cum ſpiritu roſarum ſolutæ grana quindecim,
Tincturæ Benzoin drachmam unam ſemis,
Miſce.

Vires nomen indicat.

AQUA CROCI COMPOSITA BEZÆ.

℞. Decocti ſaturati Borraginis,
Meliſſæ,
Succi Radicis Bryoniæ ana libras duas,
Croci Orientalis unciam unam,
Stent per dies aliquot in leni calore, poſtea deſtillentur.

Hanc Aquam in affectibus uterinis tum ut pellens tum ut paregoricum inſervire, præſertim in menſium negotio, ipſa loquitur compoſitio: cochleatim autem adhiberi poterit aliquoties de die pro circumſtantiarum exigentia.

AQUA DIURETICA SCHROEDERI CORRECTA.

℞. Florum Sambuci ſiccatorum uncias ſex,
Amygdalarum amararum,
Nucleorum Perſicorum ana uncias quatuor,
Ceraſorum uncias duas,
Inciſa ac groſſe contuſa, macera in Vini generoſi menſuris duabus ſemis, hinc deſtilla.

Hanc Aquam laudant ad abſtergendas vias urinarias, urinam ciendam calculumque præſervandum & imminuendum. Cochleatim datur. Non diu autem durat, facile namque ob ingredientium oleoſam ſubſtantiam rancorem contrahit.

AQUA EPILEPTICA LANGII AUGUSTANORUN.

℞. Florum Liliorum Convallium recentium manipulos duodecim,
Lavendulæ unciam unam,
Roriſmarini,
Stœchadis ana unciam ſemis,
Cinamomi drachmas ſex,
Nucis Moſchatæ unciam ſemis,
Piperis longi,
Cubebarum ana drachmas duas,
Viſci querni,
Radicis Pæoniæ,
Dictamni noſtratis ana unciam ſemis,
Infundantur in vini generoſi quantitate ſufficiente per octiduum, poſtea deſtillentur.

Commendatur hæc Aqua ad Epilepſiam, Vertiginem, Lethargum, tum præſervandi cauſa omni tempore, proxime phaſes Lunæ antecedente, eandem uſurpando, tum ratione curandi in ipſo paroxyſmo, & recollectis paululum viribus illam aſſumendo. Uſurpatur etiam in dictis affectibus exterius, quo modo etiam a catarrhalibus affectibus præſervare dicitur; cum Aqua ſit ſale volatili oleoſo prægnata, quid valere queat, quilibet comprehendet. Datur ut aliæ aquæ ſpirituoſæ cochleatim.

AQUA CONTRA FLATUS CUM VINO EST AQUA CARMINATIVA SCHROEDERI.

AQUA CONTRA FLATUS SINE VINO SIVE AQUA CARMINATIVA DORNCREILII CORRECTA.

℞. Florum Chamæmeli Romani manipulos triginta,
Corticum Aurantiorum exteriorum uncias duas,
Herbæ Abſinthii Pontici manipulum unum,
Centaurii minoris,
Pulegij,
Origani ana manipulum ſemis,
Seminis Anethi uncias duas,
Aniſi,
Fœniculi ana unciam unam,
Carvi unciam ſemis,
Cardui Benedicti drachmas duas,
Mariæ drachmas ſex.
Inciſa & contuſa infundantur per octiduum in Aquæ Chamæmeli quantitate ſufficiente, poſtea deſtillentur.

Coincidit hac ratione virtutum cum Aqua Carminativa Schrœderi,

ri, excepto, quod minus calida uti loqui amant, ſit ob abſentiam Spiritus Vini. Doſis eadem eſt, Sapor quoque idem, id eſt, non omnibus æque gratus.

AQUA FORTIS LEMERY.

Pulveriſa, ac commiſce Nitri purgati ſiccatique uncias quadraginta & octo cum eadem quantitate Vitrioli ad albedinem calcinati: hanc mixturam inde retortæ lutatæ, ita, ut ejus tertia pars vacua ſuperſit: retortam impone fornaci reverberii clauſæ, ipſique amplo excipiente adaptato, accurate luto agglutinandæ commiſſuræ: primo tunc adhibe ignem lentum, ut leniter calefiat retorta, eumque paulatim auge; ſed cum conſpicies inde in recipiens extillare ſpiritus ſub rubrarum nubecularum forma, eum continua in eodem gradu per ſedecim circiter horas, poſtea hunc ad extremam uſq; vim pelle, quo uſque loco vaporum rubrorum, alii albi conſpiciantur, vaſa tunc refrigeſcere permitte, lutumque exime, reperies in excipulo Aquæ Fortis uncias triginta ſex, quam ſervabis in lagena fictili ex glareâ probe obturatâ.

Solvendis præſertim metallis, mineralibusque inſervit.

AQUA CONTRA GONORRHOEAM QUERCETANI CORRECTA.

℞. Radicis Ireos Florentinæ,
Foliorum Dictamni Cretici,
Menthæ ſiccæ ana unciam unam,
Seminum Agni Caſti,
Rutæ,
Lactucæ ana drachmas ſex,
Terebinthinæ Venetæ uncias viginti,
Vini albi libras tres,
Contuſis contundendis, omnia alembico vitreo excepta ex arte deſtillentur & ſervetur aqua ad uſum.

Hæc Aqua partes ſpermaticas egregie deterget & propterea in Gonorrhœa virulenta tum recenti, tum etiam inveterata convenit. Datur à drachmis duabus ad unciam unam in vehiculo.

AQUA HIRUNDINUM CUM CASTOREO AUGUSTANORUM.

℞. Hirundinum in fruſta diſſectarum numero quadraginta,
Foliorum Rutæ recentis manipulos duos,
Caſtorei unciam unam,
Vini albi libras tres,
Deſtillentur, ut artis eſt.

Commendatur ut ſequens; iis exhiberi poterit, quibus permiſſum eſt, dare liquores, Sale Volatili oleoſo Caſtorei imprægnatos. Doſis cochlear unum atque alterum.

AQUA HIRUNDINUM SINE CASTOREO AUGUSTANORUM.

℞. Pullorum Hirundinum in fruſta

ſta diſſectorum numero viginti quatuor,
Viſci Querni uncias tres,
Seminis Pæoniæ excorticati unciam unam,
Radicis Pæoniæ uncias duas,
Aquæ Florum Liliorum Convallium,
Sambuci,
Pæoniæ,
Tiliæ ana menſuram unam.

Stent in infuſione in loco calido, per horas viginti quatuor, deinde deſtillentur.

Commendatur in convulſionibus epilepticis, vertigine, apoplexia ſimilibusque affectibus capitis, palpitatione item cordis, colica, & paſſionibus hyſtericis. Datur ab uncia ſemis ad uncias duas vel tres. Quid præſtare poſſit facilè judicari poteſt.

AQUA HYSTERICA QUERCETANI CORRECTA.

℞. Herbæ Matricariæ,
Mercurialis ana manipulos ſex,
Cinamomi,
Nucis Moſchatæ,
Macis ana uncias duas,
Florum Roriſmarini,
Salviæ ana manipulum unum,
Caſtorei unciam unam ſemis,
Radicis Bryoniæ unciam unam,
Vini albi generoſi,
Aquæ ſimplicis ana quantum ſufficit.

Digerantur per aliquot dies, deinde deſtillentur.

Affectibus uterinis medetur, menſes, fœtum, & ſecundinam pellit, flatus uteri diſcutit. Doſis cochlear unum ad duo.

AQUA MAGNANIMITATIS SCHROEDERI.

℞. Formicarum (præſtant majores acidulum odorem exhibentes) manipulos duos,
Spiritus Vini quantum ſufficit,

Digere vaſe clauſo, hinc deſtilla aromatizaque tantillo Cinamomi.

Quum formicæ tenuiſſimum & penetrantem ſpiritum acidum, alcali tamen debito temperatum, contineant, utique Spiritus Vini eodem imprægnatus calefaciet ex mente Authoris & penetrabit; conveniet interne & externe in affectibus Catarrhalibus frigidis, ſoporoſisque, vires reſtaurando, adaugendoque, & commendatur hinc in arthritide vaga, ſpaſmo, atrophia, dolore iſchiatico & paralyſi, ſi pars affecta ea inungatur; ſicut autem in atrophia inſignem uſum præſtare poteſt, ita è contra nondum extra controverſiam poſitum eſt, an memoriam adeo confortet, & Venerem ſtimulet, magnanimoſque Viros reddat, ut propterea tale nomen promereatur. Cujus aſſerti fidem etiam ipſe Author penes ex-

expertum reliquit. Datur pro uſu interno ad drachmas duas, unciam ſemis & ultra.

AQUA MASTICHINA.

℞. Maſtiches uncias quatuor,
Macis uncias duas,
Caryophyllorum unciam unam,
Cinamomi unciam ſemis,
Pulveriſentur omnia, & commiſceantur, deinde adfundantur illis
Vini generoſi libræ quatuor.
Stent in infuſione per triduum, poſtea deſtillentur in arena, vel quod melius eſt, per Maris-Balneum igne lento in aquam.

Concoctionem ventriculi confortat, nauſeam, ſingultum, vomitum, fluxus alvinos, diarrhœam, dyſenteriam &c. cohibet. Nauſeabunda cum ſit & per ſe exhibita ingratior, exhibetur ut plurimum cum aliis. Doſis ad drachmas duas, unciam ſemis, & ultra.

AQUA MIRABILIS LANGII SIVE APOPLECTICA AUGUSTANORUM.

℞. Florum Primulæ Veris,
Roriſmarini,
Foliorum Majoranæ,
Ivæ Artheticæ ana manipulum unum,
Radicis Calami aromatici,
Ireos,
Ariſtolochiæ rotundæ ana unciam unam ſemis,
Seminis Sileris montani,
Pæoniæ,
Fœniculi ana drachmam unam,
Cubebarum,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum ana drachmas tres,
Cinamomi,
Ligni Aloës ana drachmas duas,
Piperis longi,
Sagapeni,
Opopanacis,
Myrrhæ,
Gummi Juniperini ana drachmam unam ſemis,
Aquæ Herbæ Paralyſeos,
Salviæ,
Betonicæ ana libram unam,
Florum Tiliæ libram unam ſemis,
Stent omnia mixta in infuſione per dies octo, poſtea leni calore deſtillentur.

Hanc Aquam quatenus ex aromaticis ingredientibus conſtat, locum habere poſſe in ægritudinibus nervorum ſic appellatis frigidis, convenire in paralyſi, tortura oris, ſpaſmis, convulſionibus & loquela amiſſa, conducere in apoplexia, affectibusque ſoporoſis aliis, tum interne tum externe, negari non poteſt. Doſis ad drachmas duas, ad unciam & ultra.

AQUA NEPHRITICA SPIRITUOSA CHARAS.

℞. Mellis optimi deſpumati uncias duas,
Terebinthinæ Venetæ,
Ligni Nephritici,
Radicis Ononidis ana unciam unam ſemis,
Agallochi ſeu Ligni Aloës,
Galangæ,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Macis,
Cubebarum,
Maſtiches ana unciam ſemis,

Pulveriſentur pulveriſanda, macerentur omnia per triduum in Spiritus Vini libris quatuor, deſtillando poſtea leni igne.

Aquam hanc Author venditat eſſe præſtantisſimam adverſus calculum & colicum dolorem, exhibendo à drachma una ad ſemunciam, ſeorſim aut dilutam in quopiam liquore conveniente. Cum cautela autem eſſe adhibendam hanc Aquam, licet ſit diuretica, facilè quis judicabit, qui ſpirituoſa, & fortiter pellentia, non omni tempore, & ubivis locum habere novit.

AQUA ODORIFERA.

℞. Radicis Ireos Florentinæ uncias tres,
Herbæ Majoranæ uncias quatuor,
Thymi uncias duas,
Florum Lavendulæ uncias tres,
Roſarum Damaſcenarum recentium libras duas,
Ligni Rhodii unciam unam ſemis,
Santali albi,
Citrini ana drachmas tres,
Corticum Citri recentium uncias duas,
Cinamomi unciam unam,
Caryophyllorum,
Benzoin,
Storacis Calamitæ ana drachmas tres,
Nucis Moſchatæ,
Spicæ Indicæ,
Ladani ana drachmam unam,
Moſchi,
Zibethi ana ſcrupulum ſemis,
Vini generoſi,
Aquæ Florum Aurantiorum,
Meliſſæ,
Majoranæ,
Liliorum convallium,
Roſarum ana quantum ſufficit.

Fiat deſtillatio.

Commendatur potisſimum pro uſu externo ad refocillandum ob odoris fragrantiam & ſpirituoſitatem, unde non tantummodo naribus olfacienda exhibetur, ſed & cordi & pulſibus applicatur: qui ſuffimentis delectantur, illam evapora-

porare faciunt in conclavi; hodie tamen non æque frequenter ejusmodi Aquis odoriferis, quas gallice Eaux d' Ange appellare ſolent, utimur.

AQUA OPHTHALMICA OFFICINARUM.

℞. Aquæ Plantaginis,
Euphraſiæ,
Chelidonii,
Roſarum ana unciam unam ſemis,
Sacchari Saturni drachmam ſemis,
Tutiæ præparatæ drachmas duas,
Camphoræ ſcrupulum unum,
Miſce.

Commendatur pro uſu externo, ad ophthalmiam, oculorum inflammationes, ardores, rubedines, lippitudines, ſimilesque affectus, inſtillando aliquot guttas in oculos, ut bene per eos diffundatur, tum etiam applicando cum linteo. Tepidè autem, non frigidè ejusmodi collyria applicanda.

AQUA OPHTHALMICA BOECLERI.

℞. Aquæ Florum omnium,
Roſarum,
Euphraſiæ ana unciam unam,
Albuminis ovi ad duritiem cocti exempto vitello numero unum,
Micæ panis ſiliginei unius,
Contunde, exprime per pannum, adde
Tutiæ præparatæ ſcrupulum ſemis,
Sacchari Saturni grana quatuor,
Sarcocollæ,
Camphoræ,
Croci ana grana quinque,
Miſce.

Ratione virtutum non multum diſcrepat à priori, niſi quod magis paregorica ſit. Adhibetur etiam eodem modo.

AQUA REGINÆ HUNGARIÆ.

Dimidiam cucurbitæ vitreæ, vel fictilis partem floribus Roris-marini dum maxime vigent collectis repleto; his Spiritum Vini, ita ut commodé macerentur flores, affunde; Balneo Mariæ cucurbitam impone, eaque capitello una cum excipulo ſuo obtecta accuratè commiſſuras luto agglutina, ſubtusque per tres dies digeſtionis ignem adhibeto, quibus præteritis lutum exime, deſtillatumque liquorem in cucurbitam effunde; alembicum iterum accommodato, ignemque augendo ſatis valide, ut extillet liquor guttatim, ita ut gutta una mox aliam ſequatur, cumque tertias partes ejus extraxeris, vel circiter, ignem ſubtrahito, vaſa refrigeſcere permittito, ex iisque lutum eximito,

reperies in excipulo optimam Reginæ Hungariæ Aquam, quam in probe obturata phiala ſervabis. Sunt qui floribus folia Roris-marini jungunt, ſed tunc non æque grata evadit.

Aqua hæc ſpirituoſa, verba ſunt Dn. Charas, præſtantisſima eſt adverſus quosvis cerebri frigidos affectus, utilisſimè etiam in uſum venit in nervorum & artuum affectibus, contra Rhevmatiſmum, & Arthritidem frigidam, Cephalalgiam ſanat, vertiginem disſipat, ſurditati, auriumque tinnitui medetur. In Capitis contuſionibus cunctarumque corporis partium ſanguinem à concretione præſervando & coagulatum reſolvendo utilis eſt, virtutes quoque ſtomachicas, carminativas atque hyſtericas posſidet; interne aſſumitur à ſcrupulo uno ad drachmam & paulo ultra, ex vino vel aqua cephalica, externe pro refocillatione naribus admovetur, & partes eadem foventur.

AQUA SALVIÆ COMPOSITA.

℞. Foliorum Salviæ nobilis uncias duodecim,
Zingiberis,
Granorum Paradiſi ana unciam ſemis,
Nuciſtæ,
Macis ana drachmas duas,
Cum vino optimo infundantur & deſtillentur.

Calefacit & ſiccat, Cephalica, Arthritica & penetrantisſima eſt, conveniens tam interne quam externe. Hyſtericas quoque ſolatur debito tempore adhibita. Doſis cochlear unum ad duo.

AQUA SERPILLI COMPOSITA.

℞. Herbæ Serpilli manipulos ſex,
Fœniculi manipulos quatuor,
Verbenæ,
Meliſſæ,
Florum Tiliæ,
Liliorum Convallium,
Lavendulæ,
Rorismarini ana manipulum ſemis,
Seminis Aniſi unciam ſemis,
Radicis Zedoariæ,
Galangæ,
Cubebarum ana drachmam unam,
Cinamomi drachmam ſemis,
Macis,
Nucis Moſchatæ ana drachmas duas,
Viſci querni,
Radicis Pæoniæ ana unciam unam ſemis,
Vini generoſi menſuras tres,
Fiat deſtillatio.

Vires obtinet Cephalicas, Cordiales, Stomachicas, atque Carminativas, dolores colicos compeſcit, menſes quoque atque partum

tum promovet. Doſis cochlear unum, duo & ultra.

AQUA STOMACHICA MYNSICHTI.

℞. Galangæ minoris unciam unam cum ſemiſſe,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ,
Cinamomi acuti,
Zingiberis albi,
Maſtiches electæ,
Radicis Pimpinellæ,
Enulæ campanæ'
Acori aquatici ana unciam unam,
Menthæ criſpæ drachmas ſex,
Roriſmarini,
Salviæ acutæ,
Abſinthii ana unciam dimidiam,
Cardamomi utriuſque,
Calami Aromatici,
Macis,
Piperis longi,
Seminis Ammeos ana drachmas tres,
Schœnanthi,
Spicæ Indicæ,
Ligni Aloës ana drachmas duas,
Mixta & contuſa macerentur in Vini generoſi libris octo,
Aquæ Pulegii,
Meliſſæ ana libra una,
Poſtea deſtillentur.

Ventriculum frigidum calefacit atque rectificat. Torſiones, punctiones & dolores ſedat, pituitam & humorem crudum in eo collectum digerit ac concoquit, phlegma liquefacit, nauſeam & vomitum ſiſtit, acido ructui medetur, podagram à cauſa frigida diſſolvit, nec non ad maciem & diſpoſitionem ſenectutis, ad excitandum appetitum & caliditatem in ſenibus, ad fugandam ventoſitatem craſſam, ad aperiendum oppilationes, ad reſolvendum humiditates ſuperfluas & corruptas juvamentum divinum eſt ex mente Authoris. Doſis à cochleari uno, ad duo & tria vel ab uncia dimidia ad unam & duas.

AQUA AD TORMINA INFANTUM.

℞. Aquæ Menthæ,
Chamomillæ ana uncias duas,
Syrupi Chamomillæ,
Papaveris rhœados ana unciam ſemis,
Miſce.

Vires ex titulo patent, quod nempe in colica infantili flatus disſipando & fibras inteſtinorum demulcendo conveniat. Datur cochleatim.

AQUA THERIACALIS BEZOARDICA.

℞. Radicis Tormentillæ,
Gentianæ,
Dictamni albi ana uncias duas,

Vincetoxici,
Carlinæ ana uncias duas ſemis,
Petaſitidis,
Oſtrutii,
Angelicæ,
Zedoariæ,
Corticis Citri ana uncias tres,
mediani Sambuci recentis,
Fraxini recentis ana manipulos tres,
Baccarum Juniperi recentium libram unam,
Foliorum Dictamni Cretici,
Scordii noſtratis,
Chamædryos ana unciam unam,
Santali Citrini drachmas tres,
Ligni Rhodii drachmas duas,
Inciſis & contuſis addantur
Theriacæ Andromachi unciæ duæ,
Mithridatii Damocratis uncia una,
Succi Nucum Juglandium immaturarum,
Limonum,
Acetoſæ,
Pimpinellæ ana libra una ſemis,
Cardui Benedicti,
Scordii noſtratis,
Rutæ ana libra una,
Scabioſæ,
Hederæ terreſtris,
Calendulæ,
Meliſſæ hortenſis ana unciæ octo,
Chelidonii,
Galegæ,
Aceti de Rubo Idæo,
Sambucini,
Roſati ana unciæ quatuor,
Rutacei libra una.

Poſt triduanam digeſtionem lento Balnei calore liquor evocetur, in cujus media parte ſuſpendatur Camphoræ in nodulo ſericeo ligatæ drachma una, altera verò pars pro iis, qui Camphoram non ferunt, ſeorſim ſervetur.

Authorem hæc Aqua agnoſcit Mindererum, à quo tanquam diaphoretica & Alexipharmaca magnopere extollitur, in peſte, febribus malignis & contagioſis, exanthemata expellit. Exhibetur curative & præſervative ad cochlear unum aut alterum.

AQUA THERIACALIS CAMPHORATA.

Nihil aliud eſt quam Aqua Theriacalis Bezoardica, in qua Camphora fuit ſuſpenſa.

AQUA THERIACALIS CUM VINO.

℞. Radicis Farfaræ,
Chelidonii ana libram ſemis,
Coque in tribus menſuris Vini ad conſumptionem tertiæ partis: poſtea adde
Boli Armenæ,
Terræ ſigillatæ ana unciam ſemis,

Fiat

Fiat deſtillatio.

Vires nomen indicat.

AQUA TYPHORUM CERVI.

℞. Cornua Cervi novella, adhuc ſucculenta, conſcindantur in fruſtula & cum Vino generoſo deſtillentur, & Aqua prolecta ſervetur.

Commendatur à multis tanquam alexipharmaca & febribus ardentibus, vel malignis dicata, vel per ſe ad aliquot cochlearia, aut vehiculi loco cum aliis propinata, aut cum aliis juncta.

AQUA VITÆ MULIERUM SCHROEDERI CORRECTA.

℞. Cinamomi acerrimi,
Nuciſtæ,
Macis,
Zingiberis,
Caryophyllorum,
Granorum Paradiſi,
Cubebarum ana uncias duas,
Cardamomi unciam unam ſemis,
Piperis longi unciam ſemis,
Galangæ drachmas ſex,
Zedoariæ unciam ſemis,
Pulveriſentur ſingula ſeorſim, permiſceanturque. Hinc adde
Foliorum Salviæ,
Menthæ criſpæ,
Meliſſæ ana manipulum unum,
Affunde Vini generoſi menſuras tres, maceraque vaſe clauſo per dies quatuordecim, poſtea deſtilla.

Uterum roborat, ſuffocationes ejus compeſcit, flatus diſcutit & in morbis Uterinis à quibusdam fere pro Panacæa habetur. Corroborat inſuper ac calefacit Ventriculum, Caput ac reliqua viſcera. Exſiccat Catharrhos. Doſis à cochleari dimidio ad unum & plura.

AQUA VITÆ MULIERUM BOECLERI.

℞. Seminis Aniſi libram unam,
Fœniculi,
Papaveris albi,
Cumini Romani ana unciam ſemis,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Granorum Paradiſi ana unciam unam,
Radicis Ireos Florentinæ,
Zedoariæ,
Calami Aromatici ana drachmas tres,
Spiritus Vini libras ſex.
Stent in leni digeſtione per octiduum, poſtea deſtilla, liquori deſtillato adde
Sacchari albiſſimi uncias quatuor,
Filtra & ſerva pro uſu.

Hæc cum priori in virtutibus coincidit, & eadem exhibetur doſi; multis gratior comparet.

AQUA VULNERARIA SEU AQUA CATAPULTARUM.

℞. Foliorum & Radicum Conſolidæ majoris,

Foliorum Salviæ,
Artemiſiæ,
Bugloſſæ ana manipulos quatuor,
Betonicæ,
Saniculæ,
Bellidis majoris,
minoris,
Scrophulariæ magnæ,
Plantaginis,
Agrimoniæ,
Verbenæ,
Abſinthii,
Fœniculi ana manipulos duos,
Hyperici,
Ariſtolochiæ longæ,
Telephii ſive Anacampſeri,
Veronicæ,
Centaurii minoris,
Millefolii,
Nicotianæ,
Piloſellæ,
Menthæ,
Hyſſopi ana manipulum unum,

Inciſis & contuſis in mortario affundantur Vini generoſi libræ viginti quatuor, aut menſuræ ſex: ſtent in digeſtione in fimo equino aut alio calore ſimili per tres dies, poſtea deſtillentur igne moderato per veſicam.

Commendatur hæc Aqua, quam Eau d'Arquebuſade appellare ſolent, ad contuſiones, ſanguinem coagulatum reſolvendum, ad dislocationes, reſolvendos tumores, mundificanda vulnera & ulcera, ad gangrænam præſervandam, parteſque roborandas. Adhibetur ut plurimum externè, quandoque tamen internè, ſed raro.

His ſequentes ſubjunguntur

AQUÆ DESTILLATÆ CUM VINO.

Loco Aquæ aſſumitur Vinum, & fit deſtillatio.

Hoc modo fit

Aqua Cardui Benedicti cum Vino,
Fragorum cum Vino,
Liliorum convallium cum Vino,
Meliſſæ cum Vino.

AQUA MELLIS.

℞. Mellis quantum lubet.

Deſtilletur vel per ſe in Maris Balneo, vel cum Aqua per veſicam, uſque dum guttæ exſtillantes aceſcere incipiunt.

Inſervire poteſt internè ad urinam & menſes ciendos. Utplurimum autem uſurpatur externè ad capillos adaugendos.

AQUA CALCIS VIVÆ.

℞. Calcis vivæ libram unam, diſſolve in aquæ libris ſex aut quantum ſufficit,

Filtratus liquor ſervetur.

Deſiccat egregie & reſiſtit gangrænæ. Uſurpatur externè, rariſſimè internè. Si libra aquæ calcis

cis grana quindecim aut viginti Mercurii Sublimati corroſivi adduntur, exſurgit aqua ſic dicta Phagædenica flaveſcens, quæ carnes luxuriantes abſumit, ulcera antiqua mundificat & gangrenæ reſiſtit, præſertim ſi Spiritus Vini commiſceatur.

CLASSIS TERTIA
BALSAMA
DELINEANS.

BALSAMUM APOPLECTICUM.

℞. Olei Nuciſtæ libram ſemis ponderis civilis,
Ambræ gryſeæ unciam ſemis,
nigræ,
Moſchi optimi ana drachmas ſex,
Zibethi drachmas decem,
Olei deſtillati Lavendulæ,
Majoranæ,
Rutæ ana drachmas duas,
Cinamomi ſcrupulos duos,
Succini unciam ſemis,
Caryophyllorum ſcrupulos duos,
Balſami Indici nigri uncias duas,
Miſce, fiat lege artis Balſamum, colorandum capite mortuo Succini.

Vires ex nomine patent, commendatur etiam in aliis affectibus Capitis, præſertim ſoporoſis. Naribus temporibus & vertici Capitis illinitur.

BALSAMUM ARCÆI.

℞. Sevi Cervini uncias octo,
Terebinthinæ Venetæ,
Gummi Elemi ana uncias ſex,
Axungiæ Porci uncias quatuor,
Miſce.

Eſt communisſimum vulnerarium, conſolidat vulnera & ulcera, fortificatque nervos; conducit etiam in luxationibus & contuſionibus. Tanquam digeſtivum quoque uſurpatur.

BALSAMUM CARYOPHYLLORUM.

℞. Olei deſtillati Caryophyllorum drachmam unam,
Nuciſtæ expreſſi & loti quantum ſatis.
Fiat Balſamum juſtæ conſiſtentiæ; quod tingatur pulvere Caryophyllorum.
Hoc modo parantur

Balſamum Cinamomi.
Roſarum.

BALSAMUM CEPHALICUM.

℞. Unguenti Alabaſtrini unciam ſemis,
Balſami de Copayba drachmam unam ſemis,
Olei Nuciſtæ expreſſi drachmas tres,
deſtillati Succini,
Majoranæ,
Nucis Moſchatæ ana guttas ſex,
cum ſufficiente quantitate Ceræ (ſcrupulis duobus) fiat Balſamum.

Conducit præſertim ad ſopiendos capitis dolores temporibus & vertici illitum.

BALSAMUM FIORAVANTI.

℞. Albuminum ovorum libram unam,
Terebinthinæ uncias ſex,
Reſinæ Pini uncias quatuor,
deſtilla per Retortam, ſeparetur ab Aqua Oleum,

Quod in Capitis imprimis vulneribus valde prodeſt, ut & in Tinea & Alopecia.

BALSAMUM HYSTERICUM.

℞. Gummi Galbani in aceto ſoluti drachmam ſemis,
Olei Rutæ cocti drachmas duas,
Extracti Caſtorei ſcrupulum unum,
Olei deſtillati Succini guttas octo,
Corporis pro Balſamo quantum ſufficit.
Miſce, fiat Balſamum.

In affectibus Hyſtericis, naribus, temporibus, vertici & umbilico applicatur.

BALSAMUM LAVENDULÆ.

℞. Ceræ albæ unciam unam,
Olei Lavendulæ deſtillati uncias duas,
Miſce, fiat Balſamum tingendum colore cœruleo, mediante cœruleo montano aut Berolinenſi.

Eodem modo parantur
Balſamum Rorismarini.
Rutæ.
Succini.
Quodlibet ſuo modo tingendum.

BALSAMUM LOCATELLI.

℞. Ceræ flavæ uncias ſex,
Olei Olivarum uncias novem,
Terebinthinæ Venetæ uncias quinque,
Liquefiant lente & refrigeratis adde
Balſami Peruviani drachmas ſex,
Santali rubri ſubtiliſſime pulveriſati qantum ſatis,
Miſce,

Miſce, fiat Balſamum.

Commendatur ad detergenda & conſolidanda vulnera, præſertim recentia, ut & ad contuſiones, nec non ad læſiones internas. Pro uſu interno datur ad unciam dimidiam, drachmas ſex.

BALSAMUM MAGICUM PFORTZHEMENSIUM.

℞. Vini generoſi libras tres,
Olei Hyperici libram unam,
Terebinthinæ,
Philoſophorum,
Lumbricorum ana uncias duas,
Ceræ unciam unam,
Theriacæ,
Mithridatii ana drachmam unam,
Medullæ cruris Humani uncias tres,
Viſci Corylini uncias duas,
Quercini uncias tres,
Herbæ Antirrhini,
Polytrichi,
Scabioſæ,
Perſicariæ,
Menthæ criſpæ,
Rutæ murariæ,
Omnium ſpecierum florum Hyperici ana manipulos ſeptem,
Florum Verbaſci,
Betonicæ,
Prunellæ,
Scabioſæ,
Auriculæ muris minoris,
Chelidonii ana manipulum unum,
Seminis Antirrhini,
Hyperici ana unciam unam,
Pomorum Momordicæ,
Radicis Symphyti majoris,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Dracunculi ana manipulos tres,
Baccarum herbæ Paridis unciam unam ſemis.

Omnia legitimo tempore collecta coque in diplomate, donec Vinum eſt conſumptum, tunc adde
Mumiæ,
Maſtiches,
Olibani,
Myrrhæ ana unciam dimidiam.

Ebulliant adhuc parum & ſerventur.

Notari voluit Author, ne in collectione ingredientium ferrum accedat.

Vires hujus Balſami prædicantur inſignes ad incantamenta, præterea pellit calculum, necat vermes, curat hæmoptyſin ac doloribus colicis arthriticis & nervinis medetur internè & externè.

BALSAMUM PERSICUM BEAUME DE COMMANDEUR. GALLIS DICTUM.

℞. Thuris maſculi uncias duas,

Balſami Indici ſicci unciam unam,
Storacis Calamithæ uncias duas,
Benzoes uncias tres,
Myrrhæ,
Aloës Succotrinæ ana unciam ſemis,
Ambræ gryſeæ grana ſex,
Angelicæ odoratæ unciam ſemis,
Moſchi grana quinque,
Florum Hyperici unciam unam.

Miſce, infundantur in Spiritus Vini rectificatiſſimi unciis triginta ſex.

Inſolentur per menſem & filtrentur.

Convenit in vulneribus & ulceribus etiam cancroſis, morſibus animalium venenatorum & rabidorum. Conducit quoque ad catharrhos & ad dolores podagricos, dentium atque hæmorrhoidum. Non debet calefieri, ſed frigidè applicari; commendatur quoque internè ad affectus ſtomachi, ad colicam præſertim flatulentam, ut & ad febres: datur ad aliquot guttas.

BALSAMUM SULPHURIS ANISATUM AUGUSTANORUM.

℞. Olei Aniſi uncias ſex,
Florum Sulphuris unciam unam.

Digerantur, donec Oleum Aniſi tincturam Sulphuris perfectè extraxerit; Oleum rubicundiſſimum filtratum ſervetur.

Pectori eſt dicatum, imprimis autem ad ejus ulcera laudatur: commendatur etiam in aſthmate, morbisque frigidis atque flatulentis. Datur ad guttas tres ad guttas decem in vehiculo.

BALSAMUM SULPHURIS RULANDI.

℞. Florum Sulphuris uncias tres,
Olei Nucum uncias octo,
Vini rubri,
Aceti ana uncias tres.

Digerantur per octiduum, poſtea coquantur ad conſumptionem vini & aceti, tum coletur & uſui ſervetur Balſamum, per tempus aperto relicto vaſe, quo empyrevma pereat.

Diſcutit atque reſolvit, digerit atque ulcera mundificat, dolores quoque mitigat & imprimis ad ambuſta quoque conducit.

BALSAMUM SULPHURIS TEREBINTHINATUM.

Paratur ut Balſamum Sulphuris Aniſatum.

Exulcerationibus tám externis quam internis conducit, in gonorrhœa prodeſt, præſervat à putredine, hinc etiam in peſte & morbis malignis laudatur.

BALSAMUM VITÆ HOFFMANNI.

℞. Olei deſtillati Lavendulæ,
Majoranæ,
Caryophyllorum ana ſcrupulum unum,
Ma-

Macis ſcrupulos duos,
Cinamomi guttas viginti quatuor,
Rutæ,
Succini albi ana ſcrupulum ſemis,
Olei Citri è Corticibus recenter expreſſi ſcrupulum unum,
Ambræ gryſeæ ſcrupulum ſemis,

Hæc Olea invicem miſceantur, & per aliquot ſeptimanas ſtent, quando jam habere volumus Balſamum Vitæ, de his oleis commixtis guttæ decem inſtillentur Spiritus Vini rectificatiſſimi unciæ uni, & adde Balſami Peruviani drachmam ſemis, & ſerva.

Balſamum eſt apoplecticum, cujus uſus internè & externè eſt egregius. Internè in virium debilitate, doloribus colicis, ſyncope, defectu, uti loquuntur, ſpirituum animalium, dari poteſt ad guttas decem ad viginti. Externè autem in omni debilitate capitis, morbis ſpasmodicis, ſoporoſis, naribus, pulſibus, Vertici Capitis, Nuchæ applicari poteſt.

BALSAMUM VULNERARIUM VIRIDE.

℞. Viridis Æris,
Gummi Galbani,
Ammoniaci,
Bdellii ana unciam ſemis,
Myrrhæ,
Thuris,
Maſtiches,
Terebinthinæ ana drachmas duas,
Olei Olivarum libras tres,

Coque ſecundum artem, & fiat Balſamum.

Conducit ad mundificanda vulnera & ulcera, ad inducendam carnem & cicatricem, laudatur quoque ad morſus animalium venenatorum.

CLASSIS QVARTA

CONDITORUM, CONFECTIONUM, CONSERVARUM, MORSULORUM, ET TABULARUM.

CONDITA.

Condiuntur Aurantiorum cortices,
Berberes cum acinis,
ſine acinis,

Calamus Aromaticus,
Caro Citri,
Ceraſa acida,
Cichorei Radices,
Cortices Citri,
Cydonia,
Cynosbati fructus,
Enulæ Radices,
Lactuca Hiſpanica,
Nux Indica,
Nuces Juglandes,
Ribes,
Satyrii Radices,
Zingiber.

Ex his quæ apud nos condiri poſſunt, Saccharo clarificato, ut artis eſt, condiantur; reliqua aliunde ad nos allata, ut rite ſe habeant, Pharmacopœus videat.

CONFECTIO ALKERMES COMPLETA ET INCOMPLETA.

℞. Succi pomorum dulcium,
Sacchari albiſſimi ana libram unam ſemis,
Coquantur ad craſſam conſiſtentiam; poſtea addatur
Succi granorum Kermes Monſpelio allati ſpiſſioris libra una ſemis.

Ab igne depoſitis & adhuc calentibus miſceantur
Ambræ in particula Succi ſolutæ drachmæ duæ,
Ligni Aloës,
Cinamomi ana drachmæ ſex,
Lapidis Lazuli,
Margaritarum Orientalium ana drachmæ duæ,
Foliorum Auri,
Moſchi in Spiritu Roſarum ſoluti ana drachma una,
Fiat Electuarium.

Pro incompleta, Ambra & Moſchus omittuntur.

Virtutes adſcribuntur cordiales & omnium viſcerum confortativæ atque lætificantes & aphrodiſiacæ. Doſis ad ſcrupulum unum, drachmam unam &c.

CONFECTIO ANISI LAXATIVI.

℞. Zingiberis albi drachmam unam ſemis,
Cinamomi,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ ana drachmam unam,
Maſtiches electæ ſcrupulos quatuor,
Dagrydii præparati uncias tres ſemis,
Fiat pulvis ſubtiliſſimus,
Poſtea adde
Aniſi uncias ſex,
Sacchari libras quatuor,
Fiat cum prædicto pulvere confectio.

Qui Acidulas bibunt, hac utuntur, ut flatus diſſipent & Acidulæ per alvum operentur facilius. Aſſumitur ad drachmam unam & alteram, ad unciam ſemis.

Fieri etiam poteſt Confectio Aniſi

niſi laxativi ſimplex mixtione Scammonii cum ſaccharo, vel maceratione Aniſi in aqua, in qua Scammonium fuerit diſſolutum.

CONFECTIO ANISI SIMPLEX.

Fit ſimpliciter, ſemen ſaccharo incruſtando.

Flatus diſcutit & concoctionem juvat.

Eodem modo fit Confectio Calami Aromatici, & Confectio Cubebarum.

Utraque vim obtinet ſtomachicam atque carminativam.

Pertinet huc quoqueConfectio ſeminis Cynæ ſive Santonici.

Ob vim anthelminticam ſive vermifugam celebris.

CONFECTIO HAMECH AUGUSTANORUM.

℞. Myrobalanorum Citrinarum uncias quatuor,
Chebularum,
Indarum,
Rhabarbari electi ana uncias duas,
Agarici,
Colocynthidis,
Polypodii ana drachmas decem & octo,
Abſinthii,
Thymi,
Senæ ana unciam unam,
Violarum drachmas quindecim,
Epithymi uncias duas,
Seminum Aniſi,
Fœniculi,
Roſarum rubrarum ana drachmas ſex,
Prunorum numero ſexaginta,
Paſſularum enucleatarum uncias ſex,
Macerentur omnia in
Succi Fumiterræ libra una,
Seri lactis caprini libris duodecim,

in vaſe vitreato, in loco tepido, per viginti quatuor horas; poſtea ferveant unâ vel alterâ ebullitione, & colentur. In colatura ſolvatur

Sacchari albi libra una ſemis,

quæ ad debitam conſiſtentiam coquatur, addendo in fine

Pulpæ Caſſiæ uncias quatuor,
Tamarindorum uncias quinque,

& ubi ab igne remota fuerit, ſequentes pulveres paulatim inſpergendo:

Scammonii præparati, & ſeorſim in pulverem redacti unciam unam & ſemis,
Myrobalanorum Citrinarum,
Chebularum,
Indarum ana unciam ſemis,
Belliricarum,
Emblicarũ,
Rha-

Rhabarbari,
Seminis Fumiterræ ana drachmas tres,
Aniſi,
Spicæ Indicæ ana drachmas duas.
Fiat Electuarium, ut eſt artis.

Medicamentum hoc nauſeabundum, eſt tormina excitat, fortiter purgat, præcipuè in morbis venereis adhibetur. Doſis eſt à drachma, ad drachmas ſex, ad unciam unam.

CONFECTIO HYACINTHI COMPLETA ET INCOMPLETA.

Deſcriptionem vide ſub Speciebus de Hyacintho.

CONSERVÆ.

Proſtant apud nos
Conſerva Acaciarum Florum,
Acetoſæ,
Acetoſellæ,
Anthos,
Aurantiorum Florum,
Bellidis,
Betonicæ,
Borraginis,
Bugloſſæ,
Centaurii minoris,
Chamædryos Herbæ,
Cichorei Florum,
Citri è pulpa,
Cochleariæ,
Cynosbati,
Euphraſiæ,
Farfaræ,
Fumariæ,
Florum Geniſtæ ante expanſionem,
Gratiolæ,
Hederæ terreſtris,
Lamii albi ſive Urticæ mortuæ Florum,
Lavendulæ,
Liliorum convallium,
Majoranæ Summitatum,
Nymphææ Florum,
Paralyſeos Florum,
Perſicorum Florum,
Pæoniæ,
Roſarum albarum,
pallidarum,
rubrarum,
antiqua,
vitriolata,
Salviæ,
Scabioſæ,
Tunicæ Florum,
Veronicæ,
Violarum,
Vitriolata.

Flores ac Herbæ minutiſſime incidantur, & ſingulis libris addantur Sacchari albiſſimi libræ duæ.

CONSERVA VISCERALIS.

℞. Salis Abſinthii uncias duas,
Tamariſci unciam unam,
Stipitum fabarum,

Urti-

Urticæ ana drachmas tres,
Arcani duplicati drachmas duas,
Nitri Vitriolati unciam unam ſemis,
Subtiliſſime pulveriſatis inſperge Spiritus Sulphuris per campanam drachmas duas,
Olei deſtillati Aniſi,
Citri ana drachmam unam,
Fœniculi drachmam ſemis,
Cinamomi ſcrupulum unum,
Menthæ guttas quatuor,
Miſce exactiſſime, continuo ſpatula lignea agitando, adde
Pulveris Sacchari candi albi uncias octo,
Cinamomi drachmas duas,
Macis,
Caryophyllorum,
Zingiberis ana drachmam unam,
Conſervæ Roſarum rubrarum libram unam, ponderis civilis,
Tunicæ libram ſemis, ponderis civilis,
Miſce & ſerva pro uſu.

Conſerva eſt polychreſta, viſcerum obſtructiones, uti Lentilius loquitur, hepatis & lienis ita aperiens, ut ſimul ea, cumprimis ventriculum & caput roboret, hinc in cachexia, ictero, hydrope, affectibus ſpleneticis, hyſtericis, hypochondriacis, melancholicis, & quibuscumque ab acido viſcido provenientibus, item in febribus, uſurpatur cum ſucceſſu. Doſis per ſe à drcahma ſemis, ad drachmam.

MORSULI CITRI EX SUCCO.

℞. Elæoſacchari Citri ex corticibus recentibus parati quantum vis,
Succi Citri quantum ſufficit.
Fiant lege artis Morſelli.

Cordiales ſunt atque ſtomachici, dantur ad unciam ſemis, & ultra.

MORSULI CORDIALES CUM CONFECTIONE ALKERMES.

℞. Amygdalarum dulcium excorticatarum,
Nucum Piſtaciarum,
Indicarum conditarum,
Corticum Citri conditorum ana unciam ſemis,
Aurantiorum conditorũ drachmas duas,
Cinamomi acuti drachmam unam,
Macis ſcrupulum unum,
Confectionis Alkermes completæ drachmas duas,
Succi ejusdem drachmas tres,
Cardamomi ſcrupulum unum,

Foliorum Auri numero ſex,
Sacchari albiſſimi in aqua Roſarum ſoluti uncias octo,
Fiant ſecundum artem Morſelli.

Vires ex nomine patent, conveniunt etiam in ſtomachi vitiis. Doſis ad drachmas duas, unciam ſemis, & ultra.

MORSULI IMPERATORIS CUM FRUCTIBUS.

℞. Pinearum mundatarum,
Piſtaciorum decorticatorum,
Amygdalarum dulcium ana unciam ſemis,
Specierum Imperatoris parum inciſarum & contuſarum drachmas tres,
Aromaticarum,
Roſatarum,
Cinamomi inciſi, & contuſi ana drachmam unam,
Conſervæ Roſarum Damaſcenarum unciam ſemis,
Sacchari in aqua Roſarum diſſoluti uncias octo,
Fiant Morſelli.

Stomacho præſertim ſunt dicati, & ab iis, qui acidulas bibunt, frequenter uſurpantur. Doſis ad unciam ſemis, ad unciam unam &c.

TABULÆ DIACARTHAMI.

Sunt ſpecies Diacarthami in Tabulas ſive Rotulas redactæ.

Purgant, & imprimis humores pituitoſos. Doſis ad drachmam, ad unciam uſque.

TABULÆ DE HYSSOPO.

Sunt Species de Hyſſopo in Rotulas coactæ.

Ad incidendam pituitam craſſam, ad tusſim, & ad aſthma commendantur, expectorationem promovent. Doſis ad drachmam, drachmas duas &c.

TABULÆ DIAIREOS.

℞. Pulveris Ireos Florentinæ unciam unam,
Specierum Diaireos ſimplicium unciam ſemis,
Sacchari albi libras duas.
Fiant Rotulæ.

Expectorationem promovent, conveniunt in tusſi, doſis ad drachmam, drachmas duas &c.

TABULÆ DIAMBRÆ.

Parantur ex Speciebus Diambræ cum Saccharo.

Confortantes, cephalicæ & aphrodiſiacæ adſcribuntur vires.

TABULÆ DIAPRINCIPUM.

℞. Pulveris Cinamomi ſcrupulos duos,
Ireos Florentinæ grana quinquaginta,
Liquiritiæ drachmam ſemis,
Sacchari albi uncias quatuor,
Fiant Rotulæ, deaurentur.

In-

Inſerviunt ad oris halitum emendandum.

TABULÆ DIATRAGACANTHI FRIGIDI.

Parantur ex Speciebus Diatragacanthi frigidi cum ſufficiente quantitate Sacchari.

Demulcent, unde in catarrhis tenuibus & acribus uſurpantur.

TABULÆ MANUS CHRISTI SIMPLICES, ET CUM MARGARITIS, SIVE SACCHARUM PERLATUM.

℞. Sacchari albiſſimi libram unam,
Aquæ Roſarum quantum ſatis eſt pro Sacchari ſolutione,

Coquantur, ut artis eſt, quod ſi Margaritas addere volueris, injiciatur ſub finem
Margaritarum præparatarum uncia ſemis,

Ad edulcorandum potiſſimum inſerviunt.

TABULÆ EX OLEO ANISI.

Fiunt redigendo Elæoſaccharum in Tabulas.

Stomachicæ ſunt atque Carminativæ.

TABULÆ EX OLEO SUCCINI.

Parantur ex Elæoſaccharo.

Cephalicæ habentur & uterinæ.

TABULÆ EX SUCCO BERBERUM.

℞. Sacchari albi pulveriſati libram unam.

Incaleſcat ad ignem lentum, donec fere liqueſcat, tunc adde paulatim
Succi Berberum depurati uncias tres,

Miſce, fiant ex arte Tabellæ.

Refrigerant ſitimque ſedant, vel ita comeduntur, vel iisdem mixturæ edulcorantur.

TABULÆ EX SUCCO CITRI.

Eodem ac Tabulæ ex Succo Berberum modo parantur.

Iisdem virtutibus gaudent, magis tamen habentur cordiales.

TABULÆ STRUMALES.

Fiunt ex Pulvere Strumali cum ſufficiente quantitate Sacchari.

Ad Strumas abigendas commendantur, ſi tempore Lunæ decreſcentis quotidie mane & veſperi, ad drachmam & ultra aſſumantur.

TABULÆ VIOLARUM.

Commode fiunt ex Syrupo Violarum, ſemper autem recenter debent parari.

Inſerviunt præprimis edulcorationi.

TABULÆ CONTRA VERMES.

Parantur, Pulverem contra Vermes cum ſufficiente Sacchari quantitate in Tabulas redigendo.

Vires nomen indicat.

SACCHARUM ROSATUM TABULATUM.

℞, Florum Roſarum rubrarum mundatarum drachmas duas,
Pulveriſentur ſubtiliſſime, & irrorentur Spiritus Vitrioli guttis aliquot.
Poſtea immiſceantur
Sacchari albi in Aqua Roſarum diſſoluti, & ad debitam conſiſtentiam coɫti unciæ quatuor.
Fiat Confeɫtio in Tabulis vel Morſellis.

Immiſcetur Trageis, Pulveribus, atque Potionibus.

ZINGIBER COCTUM.

℞. Cinamomi eleɫti drachmas duas,
Nucis Moſchatæ drachmam unam,
Caryophyllorum ſcrupulos duos,
Macis ſcrupulum unum,
Incidantur omnia craſſe, addendo poſtea
Zingiberis tenuiſſime pulveriſati drachmas ſex,
Sacchari Aqua Roſarum ſoluti uncias ſedecim.
Fiat Confeɫtio in Morſellis.

Stomacho eſt dicatum, ad appetitum excitandum, & coɫtionem juvandam.

Referuntur ad hanc Claſſem etiam

ELÆOSACCHARA.

ELÆOSACCHARUM ANISI.

℞. Pulveris Sacchari albi unciam unam,
Olei Aniſi guttas oɫto.
Miſceantur exaɫte.

Stomachicum eſt, atque Carminativum.

Eodem modo paratur

ELÆOSACCHARUM FOENICULI.

Quod Stomachicum, Carminativum atque Ophthalmicum eſt.

Et

ELÆOSACCHARUM SUCCINI.

Quod Cephalicum eſt, & Uterinum.

ELÆOSACCHARUM CINAMOMI.

Fit ad unciam unam Sacchari ſumendo guttas duas Olei Cinamomi.

Cephalicum, Stomachicum, Carminativum, atque Cordiale eſt.

Elæoſacchara dantur vel per ſe cuſpidatim, vel aliis remediis commiſcentur.

CLAS-

CLASSIS QVINTA ELECTUARIA TRADENS.

ELECTUARIUM ANTIFEBRILE PRETIOSUM.

℞. Conſervæ Viſceralis unciam unam ſemis,
Pulveris Corticis Chinæ Chinæ unciam unam,
Radicis Ari præparatæ cum vino ſcrupulos duos,
Syrupi Corticum Citri quantum ſatis,
Fiat Electuarium.

Præparato bene corpore, in febribus intermittentibus, tuto dari poteſt. Exhibetur poſt paroxyſmum ſingulis tribus vel quatuor horis, doſi Nucis Moſchatæ, aut Caſtaneæ, aut ad aliquot cultri cuſpides, aut ad drachmam & paulo ultra. Aſſumitur vel per ſe, quod melius, vel involutum in pane azymo: drachma circiter ſcrupulum continet corticis.

ELECTUARIUM ANTIFEBRILE VULGARE.

℞. Pulveris Corticis Chinæ Chinæ unciam unam,
Salis Ammoniaci drachmam unam ſemis,
cum Rob Juniperi &
Syrupi Cardui Benedicti ana quantum ſufficit.
Fiat Electuarium.

Iisdem virtutibus fere, ac prius gaudet, eodemque etiam exhibetur modo.

ELECTUARIUM DE BACCIS LAURI.

℞. Baccarum Lauri unciam unam ſemis,
Foliorum Rutæ,
Seminis Ammeos,
Cumini,
Nigellæ,
Liguſtici,
Carvi,
Dauci,
Calami Aromatici,
Origani,
Piperis nigri,
longi,
Menthaſtri,
Caſtorei ana drachmas duas,
Sagapeni unciam ſemis,
Opopanacis drachmas tres,
Mellis triplum,
Fiat lege artis Electuarium.

Carminativum eſt, diſcutit, colicæ flatulentæ, urinæ difficultati & pasſioni hyſtericæ medetur, laudatur quoque ad menſes ciendos. Doſis eſt ad drachmam unam usque, ſed non amplius internè datur: potius autem Enematibus carmina-

nativis & evocantibus ad unciam unam uſque admiſcetur.

ELECTUARIUM BENEDICTÆ LAXATIVÆ SIVE SOLUTIVÆ NICOLAI.

℞. Turbith electi,
Sacchari ana drachmas decem,
Dacrydii,
Eſulæ præparatæ,
Hermodactylorum,
Roſarum ana drachmas quinque,
Caryophyllorum,
Spicæ Indicæ,
Zingiberis,
Croci,
Saxifragiæ veræ,
Piperis longi,
Amomi veri,
Cardamomi minoris,
Seminis Apii,
Petroſelini,
Milii Solis,
Fœniculi,
Aſparagi,
Carvi,
Ruſci,
Salis Gemmæ,
Galangæ,
Macis ana drachmam unam,
Mellis deſpumati optimi libram unam ſemis,
Fiat Electuarium, ut eſt artis.

Humores pituitoſos ad articulos potiſſimum decumbentes elicit, colicis prodeſt, ad quorum enemata plurimum expetitur, doſis eſt ad drachmas ſex uſque, ſed hodie nonniſi in clyſteribus ad unciam unam &c. adhibetur. Uncia Electuarii continet viginti & ſeptem circiter grana Turpethi, Dacrydii vero, Eſulæ & Hermodactylorum, grana circiter tredecim cum dimidio.

ELECTUARIUM CHALYBEATUM.

℞. Limaturæ Chalybis præparatæ uncias ſeptem,
Cinamomi acuti,
Nucis Moſchatæ ana drachmas ſex,
Rhabarbari electi drachmas duas,
Specierum Aromaticarum Roſatarum drachmas ſex,
Mellis optimi deſpumati,
Sacchari albiſſimi ana uncias tredecim,
Miſce ad lentum ignem, & fiat Electuarium.

Hujus Electuarii Inventor extitit Fabricius Barzonius Profeſſor Bononienſis, fuitque ejus uſus in jecoris diuturna obſtructione, & albo virginum ictero, menſibusque ſuppreſſis. Doſis ad drachmam unam, ad drachmas duas &c. drachma continet circiter Chalybis grana duodecim.

ELECTUARIUM DIACARTHAMI.

℞. Specierum Diatragacanthi frigidi unciam ſemis,
Pul-

Pulpæ Cydoniorum conditæ unciam unam,
Medullæ Carthami unciam ſemis,
Zingiberis drachmas duas,
Dacrydii drachmas tres,
Turbith albi drachmas ſex,
Hermodactylorum unciam ſemis,
Sacchari albi in aqua Borraginis diſſoluti uncias duodecim.

Fiat Electuarium liquidum.

Commendatur ad bilem & pituitam educendam, & ad omnes affectus exinde oriundos. Doſis ad drachmas tres, ad unciam dimidiam. Drachma continet Turpethi grana circiter tria, Medullæ Carthami grana duo circiter, totidemque de Hermodactylis, Dacrydii vero granum unum cum tertia parte grani.

ELECTUARIUM DIACASSIÆ CUM MANNA.

℞. Prunorum Damaſcenorum uncias duas,
Florum Violarum manipulum unum ſemis,
Aquæ puræ uncias octodecim,

Bulliant ad medietatis conſumtionem, colentur, & in colatura diſſolve

Syrupi Violati uncias ſex,
Sacchari uncias duas,

Coquantur ad juſtam conſiſtentiam, & adde

Pulpæ Caſſiæ uncias ſex,
Tamarindorum unciam unam,
Mannæ Calabrinæ uncias duas,

Miſceantur.

Medicamentum leniens & laxans, conducens iis, qui alvo ſunt duriore. Doſis ad unciam unam, ad uncias duas.

ELECTUARIUM DIACATHOLICON SEU ANTIDOTUS CATHOLICA NICOLAI PRÆPOSITI.

℞. Polypodii querni libram ſemis,

Decoquantur in aquæ communis libris octo, ad medietatis conſumtionem: In quo decocto colato diſſolvantur

Sacchari albi libræ quatuor,

coquantur ad Syrupi conſiſtentiam: ubi paululum refrixerit, addantur

Pulpæ Caſſiæ,
Tamarindorum ana unciæ quatuor,

probè agitando. Poſtremò ſubſequentes pulveres paulatim inſpergantur:

℞. Sennæ uncias quatuor,
Rhabarbari,
Polypodii,
Aniſi ana uncias duas.
Miſceantur, ut artis eſt.

Commendatur tanquam purgans univerſale, in omnibus morbis

bis & ad omnes humores educendos. Doſis ad unciam ſemis, ad unciam unam: Gallis adhuc in uſu. Frequenter immiſcetur Clyſteribus ad unciam unam cum dimidia uſque.

ELECTUARIUM DIACITRI
SIVE
DE CITRO SOLUTIVUM.

℞. Sennæ mundatæ drachmas ſex,
Turbith drachmas quinque,
Dacrydii unciam ſemis,
Corticis Citri ſicci,
Gummi Tragacanthæ,
Seminis Violarum ana drachmas duas,
Sacchari albi in Aqua Bugloſſi ſoluti & clarificati uncias novem,
Fiat Electuarium.

Eſt Cholagogum, pituitam quoque educit, datur ad drachmas duas, ad drachmas ſex &c. Drachma una continet Dacrydii granum unum cum dimidio, Turpethi grana duo cum dimidio.

ELECTUARIUM DIACORI
AUT DIACORUM.

℞. Radicis Eryngii,
Calami Aromatici,
Amygdalarum ana libram unam ſemis,

Radices Eryngii mundatæ & inciſæ coquantur in aqua clara, donec aqua conſumatur. Poſtea optime piſtentur, & in minutiſſimas partes conterantur, ad pultis conſiſtentiam. Deinde adfundendo Mellis optimi deſpumati libras decem, coquantur lento igne, donec tota aqua, quam radices imbiberunt, in vaporem reſoluta ſit, diligenter agitando, ne radices adurantur. Cum autem juſtæ ſpiſſitudinis conſiſtentiam adquiſiverit, ab igne deponatur & radices Acori tenuiſſimè tritæ, ac Amygdalæ minutiſſimè inciſæ, cum ſubſequenti pulvere optimè mixtæ, addantur:

℞. Piperis nigri unciam unam,
longi,
Caryophyllorum,
Zingiberis,
Roſarum,
Macis ana unciam ſemis,
Nucis Moſchatæ,
Galangæ,
Cardamomi ana drachmas tres,

Nervorum ægritudinibus confert, acuit ſenſus & ingenium, ſedat dolores capitis, eſt peculiare remedium frigidarum ægritudinum ſenum, & maxime catarrhi. Hydropicos quoque juvat, doſis à drachma dimidia, ad drachmas duas, ad unciam unam uſque, & ultra.

DIA-

DIACYDONIATUM AROMATISATUM.

℞. Diacydonii ſimplicis ad juſtam conſiſtentiam cocti libram unam,
Specierum Imperatoris ſine Moſcho inciſarum unciam ſemis,
Corticis Citri exterioris recentis minutim inciſi drachmas quinque.
Miſceantur & fundantur in ſcatulas.

Virtute ſtomachica & carminativa gaudet, fluxibusque alvi medetur, datur ad drachmam, & ultra.

DIACYDONIATUM LUCIDUM SIMPLEX.

℞. Pulpæ Cydoniorum depuratæ libras tres,
Sacchari albiſſimi deſpumati libras duas,

Coquantur ad debitam conſiſtentiam, ut poſſint infundi ſcatulis, vel fiant in forma Electuarii ſpiſſi.

Conducit pro roborando ſtomacho, alvique fluxibus ſedandis. Sumitur drachma una, aut altera pro doſi.

DIACYDONIATVM LUCIDUM GIALAPPINUM.

℞. Magiſterii Jalappæ uncias quatuor.
Solvatur in pauco Spiritu Vini optime rectificato, & permiſceatur, diligentiſſime agitando, cum Gelatinæ Cydoniatæ ad perfectam conſiſtentiam coctæ libris quatuor ponderis civilis. Indatur ſcatulis.

Ut autem hoc Diacydonium miſceri queat potionibus & mixturis etiam aquoſis, Magiſterium Jalappæ nucleis Pini optime debet conteri, & non in Spiritu Vini ſolvi.

Inſervit communiſſime pro ſcopo purgandi, vel per ſe, vel aliis purgantibus mixtum. Per ſe datur ad drachmas tres, ad unciam ſemis.

ELECTUARIUM DIAPHOENICON.

℞. Pulpæ Dactylorum,
Amygdalarum expurgatarum ana uncias octo,
Contuſis & permixtis omnibus adde Mellis deſpumati libras duas, paulului coquantur, ac deinde inſpergantur
Zingiberis,
Piperis,
Macis,
Cinamomi,
Foliorum Rutæ ſiccorum,
Seminis Fœniculi,
Dauci ana drachmæ duæ,
Turbith tenuiſſime triti unciæ quatuor,
Dacrydii uncia una ſemis,
Fiat Electuarium.

Diaphœnicum ſive Electuarium de Dactylis, pituitam & humores ſeroſos evacuat, convenit propterea in Hydrope, Lethargo, Apoplexia, morbisque ſoporoſis, menſes quoque ciet. Datur a drachma, ad unciam unam usque, drachma continet grana ſex Turpethi, Dacrydii autem grana duo cum quarta parte grani.

ELECTUARIUM DIAPRUNIS LAXATIVUM.

℞. Electuarii Diaprunis lenitivi recentis, & nonnihil adhuc calentis libras quatuor,
Scammonei præparati, ſeu Dacrydii uncias duas,
Miſce.

Scammoneum optime pulveriſetur, & Electuario Diaprunis lenitivo non nimis calefacto miſceatur.

Confert morbis a bile genitis, ſed in febribus, ubi calidiora purgantia ſuſpecta, ab eo debemus abſtinere. Vis purgans a Scammoneo præſertim provenit. Drachma Electuarii continet grana tria Scammonei. Dari poteſt a drachma una, ad drachmas ſex.

ELECTUARIUM DIAPRUNIS, SEU DIADAMASCENON LEMERY.

℞. Decocti Prunorum Damaſcenorum colati & Sacchari albi ana libras tres, coquantur ad conſiſtentiam Opiatæ, ſive Electuarii, tunc diſſolve Pulpæ Prunorum libram unam, Pulpæ Caſſiæ libram dimidiam, Seminis Violarum unciam unam ſemis, Rhabarbari electi & Tartari ſolubilis ana unciam unam.

Fiat Electuarium.

Ad alvum humectandam datur, etiam in febribus ardentibus, & hecticis, ad drachmas duas, unciam unam, & ultra.

ELECTUARIUM DIASATYRII, SIVE DIASATYRIUM NICOLAI.

℞. Radicum Satyrii recentium ſucculentarum,
Paſtinacæ ſativæ recentium,
Eryngii recentium,
Nucis Indicæ,
Pinearum,
Piſtaciorum ana unciam unam ſemis,
Caryophyllorum,
Zingiberis albi,
Seminis Fraxini,
Aniſi,
Erucæ ana drachmas quinque,
Urticæ,
Cinamomi,
Carnis Scinci veri ana drachmas duas ſemis,
Moſchi grana ſeptem,
Mellis deſpumati optimi libras tres,

Ra-

Radices Satyrii, Paſtinacæ & Eryngii ſeorſim bene tritæ, Melli injiciantur ac ſubigantur, paululumque lento igne ferveſcant, deinde Piſtacia & Nuces Pineæ mundatæ, ac tuſæ adjiciantur: ubi cum Melle aliquantulum bullierint, ſublato ab igne lebete, tuſæ & cribratæ Species, ac poſtremo Moſchus cum pauca Roſarum Aqua ſolutus addatur; omniaque probe permiſceantur.

Analepticum venditatur medicamentum, conſumtos & emaciatos reficiens, ſemen augens, & Venerem languidam concitans, contra renum & veſicæ imbecillitatem valet, remorantem urinam promovet, datur doſi magnitudine Nucis Moſchatæ, ad unciam dimidiam.

DIASCORDIUM FRACASTORII.

℞. Scordii unciam unam,
Cinamomi,
Caſſiæ ligneæ,
Dictamni Cretici,
Radicis Tormentillæ,
Biſtortæ,
Gentianæ,
Gummi Galbani,
Arabici ana unciam ſemis,
Seminis Acetoſæ,
Opii ana drachmam unam ſemis,
Styracis Calamitæ unciam ſemis,
Boli Armenæ unciam unam ſemis,
Piperis longi,
Zingiberis ana drachmas duas,
Mellis depurati libras duas ſemis,
Conſervæ Roſarum libram unam,

Fiat Electuarium.

Dicitur ita à Scordio, quod ejus baſin conſtituere debet. Egregium eſt ſudoriferum, & alexipharmacum, in morbis malignis admodum proficuum, ſudores elicit, motus ſedat, quietem conciliat, vomitum, diarrhœam, dyſenteriam, omnemque fluxum præternaturalem ſiſtit. Doſis eſt ad ſcrupulum, ad drachmam unam; in fluxibus alvinis commode Rhabarbarum toſtum commiſcetur. Uncia Electuarii fere duo grana Opii continet.

ELECTUARIUM GINGIVALE.

℞. Pulveris Sanguinis Draconis,
Gummi Laccæ ana drachmam unam,
Myrrhæ,
Caryophyllorum ana drachmam ſemis,
Salis Ammoniaci ſcrupulum unum,
cum Rob Diamoron, & Mellis Roſati quantitate ſufficiente,
Fiat Electuarium.

Gingivarum laxitati atque ſcrobuto medetur, dentes quoque firmat, & à carie præſervat, mane & veſperi illinitur, & poſtmodum os aqua, vel etiam Vino rubro eluitur.

ELECTUARIUM HIERÆ CUM AGARICO.

℞. Specierum Hieræ ſimplicis ſine Aloë,
Agarici trochiſcati ana unciam ſemis,
Aloës non lotæ unciam unam,
Mellis deſpumati uncias ſex.
Miſce, fiat Electuarium.

Bilem & pituitam educere dicitur, majores vires obtinet ab Aloë, quam ab Agarico. Doſis à drachma una, ad drachmas duas. Rarius autem ob inſuavitatem in uſum venit, & plerumque in clyſteribus ad drachmas ſex, ad unciam unam præſcribitur. Uncia una Electuarii drachmam circiter aloës & dimidiam Agarici continet.

ELECTUARIUM HIERÆ PICRÆ SIMPLEX, SIVE HIERA PICRA GALENI, QUAM SIMPLICEM VOCANT.

℞. Cinamomi,
Xylobalſami, aut ejus loco ligni Aloës, vel Cubebarum,
Aſari,
Spicæ Indicæ,
Maſtiches Chiæ,
Croci ana drachmas ſex,
Aloës non lotæ uncias duodecim ſemis,
Mellis deſpumati libras quatuor & uncias tres.
Fiat Electuarium.

Hiera Picra dicitur quaſi Medicina ſacra, licet amara, Galeno non tanquam Authori, ſed quod tantopere ab ipſo celebrata & exculta fuerit, adſcribitur: acrimonia, caloreque ſuo, uti Galenus loquitur, craſſos & lentos ſuccos diſſecat, præſertim qui in ventriculo hærent, conducit iis qui alvo ſunt adſtricta, & mulieribus, quæ non facile purgantur. Minus autem ejus frequens uſus per os, cum nimiam amaritiem reſpuant ægroti. Aſſervatur etiam in officinis ſola Aloë cum corrigentibus, & ſpecies Hieræ appellantur, quando autem hæ ſpecies melle excipiuntur & in formam Electuarii rediguntur, Hiera ſimplex vocatur. Species in pulvere dantur à drachma ſemis, ad drachmam unam, Electuarium exhibetur ad drachmas duas, unciam dimidiam. Quælibet drachma ſpecierum continet Aloës quadraginta quatuor circiter grana, Electuarii vero uncia una continet Aloës grana circiter octoginta octo. Ut plurimum autem ejus uſus hodie in clyſteribus tantum eſſe ſolet ad unciam dimidiam, ad unciam unam &c.

ELE-

ELECTUARIUM LENITIVUM FLORENZOLÆ.

℞. Paſſularum majorum ab arillis liberatarum uncias duas,
Capillorum Veneris, ſeu Adianti nigri,
Violarum recentium,
Hordei mundi ana manipulum unum,
Jujubarum,
Sebeſten ana numero viginti,
Glycyrrhizæ unciam ſemis,
Prunorum enucleatorum,
Tamarindorum ana drachmas ſex,
Foliorum Sennæ,
Polypodii ana uncias duas,
Mercurialis manipulum unum ſemis,

Decoquantur, ut artis eſt, in ſufficiente quantitate aquæ ad conſumtionem duarum tertiarum, poſtmodum colentur, & in colatura diſſolvantur
Sacchari albiſſimi unciæ ſex,
Coquantur ad debitam conſiſtentiam, ut additis
Pulpæ Caſſiæ,
Tamarindorum,
Prunorum,
Conſervæ Violarum ana unciis ſex,
Pulveris Sennæ unciis tribus ſemis,
Fiat Electuarium.

Hujus Electuarii unciam unam præter propter, pulveris Sennæ drachma una Polypodii vero & Sennæ in decocto ſcrupulus unus ingreditur. Ad alvum laxandam & emolliendam, bilem, pituitamque & ſic dictum ſuccum melancholicum educendum, tum in febribus, pleuritide, tum etiam in renum, & aliis pectoris affectibus commendabatur. Doſis à drachmis duabus ad unciam, & ultra: ſed hodie vix aliter quam in clyſteribus adhibetur, ad unciam unam, unciam unam ſemis &c.

ELECTUARIUM LENITIVUM DE MANNA.

℞. Prunorum Damaſcenorum numero triginta,
Florum Violarum manipulos duos,
Rhabarbari electi,
Foliorum Sennæ ana unciam unam ſemis,
Tartari ſolubilis unciam ſemis,
Decoquantur in ſufficiente quantitate aquæ, poſtea
℞. Decocti hujus,
Sacchari albi ana libras quatuor,
addendo debito tempore
Mannæ uncias octo,
Pulpæ Caſſiæ uncias quatuor.
Fiat lege artis Electuarium.

Tanquam laxans & lene univerſi corporis purgans commendatur, ad bilioſos & melancholicos ſuccos educendos, ad jecoris, renum, viarumque urinalium calidam intemperiem mitigandam, obſtructionemque reſerandam. Doſis ad unciam unam & duas.

MITHRIDATIUM DAMOCRATIS

℞. Myrrhæ Troglodyticæ,
Croci,
Agarici,
Zingiberis,
Cinamomi,
Spicæ Nardi,
Thuris,
Thlaſpios ana drachmas decem,
Seſeleos,
Opobalſami, vel Olei Nucis Moſchatæ,
Schœnanthi,
Stœchadis,
Coſti veri aromatici, aut Zedoariæ,
Galbani,
Terebinthinæ,
Piperis longi,
Caſtorei,
Succi Hypociſtidis,
Styracis rubri,
Opopanacis,
Folii ana unciam unam,
Macis,
Caryophyllorum ana unciam ſemis,
Caſſiæ ligneæ,
Polii,
Piperis albi,
Scordii,
Seminis Dauci Cretici,
Carpobalſami,
Cubebarum,
Trochiſcorum Cypheos,
Bdellii ana drachmas ſeptem,
Nardi Celticæ,
Seminis Petroſelini,
Gummi Arabici,
Opii,
Cardamomi,
Seminis Fœniculi,
Gentianæ,
Florum Roſarum rubrarum,
Dictamni Cretici ana drachmas quinque,
Aniſi,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Calami aromatici,
Phu,
Sagapeni ana drachmas tres,
Mei,
Succi Acaciæ,
Carnis Scinci veri,
Summitatum Hyperici ana drachmas duas ſemis,
Vini quantum ſatis eſt,
Mellis deſpumati triplum, id eſt, libras novem, uncias octo, drachmas duas,

Modus confectionis hic eſſe ſolet, ut ingredientia, ad compoſitionem hujus tam famoſi Medicaminis in ſex Claſſes diviſa, in tenuem pulverem redigantur. Claſſium porrò ſeries hæc eſt:

I. CLASSIS.

℞. Seminis Aniſi drachmas tres,
Zingiberis drachmas decem,
Macis,
Caryophyllorum ana unciam ſemis,
Gentianæ drachmas quinque,

Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias tres, drachmas duas.

II.

II. CLASSIS.

℞. Scordii Cretici drachmas ſeptem,
Nardi Celticæ,
Seminis Petroſelini Macedonici ana drachmas quinque,
Piperis longi unciam unam.

Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias tres, drachmam unam.

III. CLASSIS.

℞. Polii montani drachmas ſeptem,
Seminis Fœniculi drachmas quinque,
Phu Pontici drachmas tres.

Pendit hæc Claſſis in univerſum unciam unam, drachmas ſeptem.

IV. CLASSIS.

℞. Cinamomi drachmas decem,
Zedoariæ,
Seſeleos ana unciam unam,
Roſarum drachmas quinque.

Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias tres, drachmas quinque.

V. CLASSIS.

℞. Dictamni Cretici drachmas quinque,
Caſſiæ ligneæ,
Cubebarum,
Piperis albi ana drachmas ſeptem,
Seminis Thlaſpios drachmas decem.

Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias quatuor ſemis.

VI. CLASSIS.

℞. Seminis Dauci drachmas ſeptem,
Cardamomi drachmas quinque,
Calami aromatici,
Ariſtolochiæ rotundæ ana drachmas tres,
Angelicæ,
Hyperici ana drachmas duas ſemis.

Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias duas, drachmas ſeptem.

Sequentia porrò per ſe terantur, nempe

Myrrhæ,
Thuris,
Agarici,
Croci ana drachmæ decem,
Caſtorei uncia una,
Bdellii drachmæ ſeptem,
Carnis Scinci marini, in minutiſſimas partes inciſæ, drachmæ duæ ſemis.

Inſuper:

Spicæ Indicæ,
Schœnanthi ana drachmæ decem,
Stæchadis uncia una,

minutim inciſa, mucilagine tragacanthi imbuta, & denuò exſiccata, in pulverem redigantur.

Trochiſcorum Cypheos, utpote cæteroquin apud nos mi-

M 2 nùs

nùs jam uſualium, ingredientia, itidem in pulverem contuſa, ſufficientem eorum recipiendo doſin, inſuper addantur, pulpa verò ex Uvis paſſis educta, & Vino Cretico diluta, in ipſa Mithridatii miſtione infundatur.

Hoc peracto, Gummi & Succi vino Cretico ſolvantur, ac eo planè modo, qui in Theriaca præſcribitur, cum Therebinthina, Melle & pulveribus ſex Claſſium uniantur, adjiciendo ſub finem Crocum vino Cretico dilutum, itemque Styracem Oleo Nucis Moſchatæ, & eodem Vino liquatum; utque ſic ſedulà ſtrenuàque agitatione compoſitio hæc ſuam perfectionem adquirat, quæ identidem in vaſe mundo & ſatis amplo, ut fermentare queat, reponenda, atque, ut Theriaca, ſæpius commovenda, donec in annum adoleverit.

Adjicimus hìc Schematiſmum Mithridatii, in duplicata quantitate, uſque ad duodecuplam parandi, qui ſic ſeſe habet:

MITHRIDATIUM DAMOCRATIS.		*In ſimplo.*	*In duplo.*	*In quadruplo.*	*In ſextuplo.*	*In octuplo.*	*In decuplo.*	*In duodecuplo.*
℞. Myrrhæ Arabicæ,								
Croci,								
Agarici,								
Zingiberis,								
Cinamomi,								
Spicæ Nardi,								
Thuris,								
Thlaſpios, - -	ana	ʒ. x.	℥. II. s.	℥. v.	℥. VII. s.	℥. x.	℥. XII. s.	℥. xv.
Seſeleos,								
Opobalſami, vel Olei Nucis Moſchatæ,								
Schœnanthi,								
Stœchadis Arabicæ,								
Coſti,								
Galbani,								
Terebinthinæ,								
Piperis longi,								
Caſtorei,								
Succi Hypociſtidis,								
Styracis,								
Opopanacis,								
Folii, - - -	ana	℥. I.	℥. II.	℥. IV.	℥. VI.	℥. VIII.	℥. x.	℥. XII.

Macis,

		In ſimplo.	*In duplo.*	*In quadruplo.*	*In ſextuplo.*	*In octuplo.*	*In decuplo.*	*In duodecuplo.*
Macis, Caryophyllorum, - -	ana	℥. s.	℥. I.	℥. II.	℥. III.	℥. IV.	℥. V.	℥. VI.
Caſſiæ ligneæ, Polii montani, Piperis albi, Scordii Cretici, Carpobalſami, Cubebarum, Cypheos Trochiſcorum, Bdellii, - - -	ana	ʒ. VII.	ʒ. XIV.	℥. III. s.	℥. V. ʒ. II.	℥. VII.	℥. VIII. ʒ. VI.	℥. X. s.
Nardi Celticæ mundatæ, SeminisPetroſelini, Gummi, Opii, Cardamomi, Seminis Fœniculi, Gentianæ, Florum Roſarum, Dictamni Cretici,	ana	ʒ. V.	ʒ. X.	℥. II. s.	℥. III. ʒ. VI.	℥. V.	℥. VI. ʒ. II.	℥. VII. s.
Aniſi, Ariſtolochiæ rotundæ, Calami aromatici, Phu, Sagapeni, - -	ana	ʒ. III.	ʒ. VI.	℥. I. s.	℥. II. ʒ. II.	℥. III.	℥. III. ʒ. VI.	℥. IV. s.
Mei, vel Angelicæ, Succi Acaciæ, Carnium Scinci, Summitatum Hyperici, - -	ana	ʒ. II. s.	ʒ. V.	ʒ. X.	ʒ. XV.	℥. II. s.	℥. III. ʒ. I.	℥. III. ʒ VI.
Vini quantum ſatis, Mellis deſpumati triplum.		℔. 9. ℥. 8. ʒ. 2.	℔. 19. ℥. 4. ʒ. 4.	℔. 38. ℥. 9.	℔. 58. ℥. 1. ʒ. 4.	℔. 77. ℥. 6.	℔. 96. ℥. 10. ʒ. 4.	℔. 116. ℥. 3.

 Miſce.

Miſce.

Nomen obtinet à Mithridate Ponti Rege. qui teſte Galeno ita ſe hac Antidoto præmunivit, ut ſe ipſum veneno aſſumpto interimere tentans, ſpe ſua fruſtratus fuerit. Juxta Veteres vix non pro Panacea habebatur, & tanquam nobile Alexipharmacum atque Anodynum uſurpabatur. Datur à drachma ſemis, ad drachmam; mulierculæ infantibus piſi magnitudine exhibent in colica, vomitu, & fluxu alvi. Externè in forma emplaſtri imponitur umbilico, & ventriculo.

ELECTUARIUM DE OVO MAXIMILIANI I. IMPERATORIS.

℞. Ovum gallinæ recens, & educto per apicem albumine, id quod vacuum eſt, Croco Orientali non pulveriſato imple, vitellum non auferendo: poſtea cum alio putamine occlude, ne quid tranſpiret, & lento igne tamdiu aſſa in ollula, donec tota ovi teſta nigreſcere incipiat, diligenter cavendo, ne Crocus comburatur. Exemta è teſta materia exſiccetur, ut in mortario exquiſitiſſime contundi, & in pulverem redigi queat, addendo pulveris Sinapi albi, quantum prædicta omnia ponderant. Poſtea

℞. Pulveris Dictamni albi,
Tormentillæ ana drachmas duas,
Myrrhæ,
Cornu Cervi,
Angelicæ,
Pimpinellæ,
Granorum Juniperi,
Zedoariæ,
Camphoræ ana unciam ſemis.

Miſce omnia ſimul in mortario, & tandem adjice Theriacæ optimæ ad pondus omnium, ac iterum piſtillo fortiter contunde, & commiſce, per tres quaſi integras horas agitando, fiat Electuarium, ut eſt artis, & in formam Ovorum parvorum redigatur & deauretur. A qua forma vel etiam exinde, quod crocus in teſta ovi coquatur cum vitello nomen habet.

Commendatur in peſte, & præſervatione à venenis deleteriis, ſudores potenter movet, & venenatos ichores à centro ad circumferentiam eximiè propellit, cor à tetris fuliginibus tuetur, ac peſtilentis luis noxas diſſicit. Commendatur etiam in variolis, modo tempus probe menſuretur, ubi propulſione opus eſt, doſis à ſcrupulo, ad drachmam unam, & paulo ultra.

ELECTUARIUM PECTORALE LAXATIVUM.

℞. Looch Sani & experti uncias duas,
Syrupi Papaveris Rhœados drachmas ſex,

Ma-

Magiſterii Gialappini drachmam unam ſemis.
Miſce, fiat Electuarium.

Infantibus præſertim exhiberi ſolet, ad mucum, & pituitam expurgandam, præſertim in tuſſi, aliisque pectoris affectibus, ubi infantes continuo humores expectorandos deglutiunt. Doſis à drachma una, ad drachmam unam cum dimidia. Drachma una Electuarii continet grana quatuor cum undecima parte grani Magiſterii Gialappini.

ELECTUARIUM PHILONIUM ROMANUM NICOLAI MYREPSI, QUOD ALIAS ETIAM MAJUS DICITUR.

℞. Piperis albi drachmas quinque,
Opii drachmas duas ſemis,
Caſſiæ ligneæ veræ drachmam unam ſemis,
Seminis Hyoſcyami albi drachmas quinque,
Apii drachmam unam,
Petroſeleni Macedonici,
Fœniculi,
Dauci Cretici ana grana quadraginta quinque,
Croci ſcrupulum unum,
Nardi Indicæ,
Pyrethri,
Zedoariæ ana grana quindecim,
Cinamomi drachmam unam ſemis,
Myrrhæ,
Caſtorei ana drachmam unam,
Mellis optimi triplum.

Philonium ab Authore Philone Philoſopho & Medico dictum, doloribus ſopiendis dicatum, ubi opium in minori quantitate deſideratum præſcribitur. Convenit quoque in agrypniis, ſomnum enim conciliat. Doſis eſt à ſcrupulo, ad drachmam unam. Uſurpatur quoque externe, drachma dimidia Electuarii continet grana duo Seminis Hyoſcyami, Opii vero granum unum.

ELECTUARIUM E SUCCO ROSARUM.

℞. Muchari Roſarum,
Sacchari albi ana uncias ſedecim,
Scammonii præparati unciam unam ſemis,
Santali rubri,
albi,
citrini ana drachmas ſex,
Spodii de Ebore drachmas tres.

Succus Roſarum cum Sacharo ad juſtam conſiſtentiam coquatur, deinde Santala cum Spodio, ac tandem Dacrydium, adjiciantur.

Commendatur præſertim ad bilem evacuandam, & in affectibus à bile ortis. Doſis ad drachmas

mas duas, unciam ſemis. Drachma continet Scammonei grana quatuor circiter.

SOTIRELLA PARVA.

℞. Olei Nucis Moſchatæ expreſſi drachmam unam,
Opii Thebaici,
Specierum Diambræ incompletarum ana drachmam ſemis,
Camphoræ,
Extracti Croci ana grana ſex,
Olei deſtillati Caryophyllorum guttas quindecim,

Redigantur in formam Opiatæ ſpiſſioris, ut inde pilulæ formari queant.

Ad dolores dentium ſopiendos cavernis eorum immittitur.

THERIACA.

Theriacam, quam omnium plané Medicamentorum Reginam dicere, nonnulli conſueverunt, & ob ſingularem efficaciam nobili multorum ſeculorum encomio, & experientiâ, fidiſſimâ rerum magiſtrâ, ipſis olim Regibus, Imperatoribusque, magnis ſumtibus ſimplicia, ad ejus confectionem requiſita, comparantibus, uſui fuiſſe conſtat, & cujus præparationem ipſi Medici Cæſarei non detrectabant; præcipuè verò Mithridates, medicamentorum venenis adverſantium vires particulatim expertus, plurima eorum conjungens, in famoſam tandem redegit Antidotum, quâ ſuam à venenis incolumitatem tutatus eſſe legitur. Subſecutus autem multis poſt annis Andromachus, inter Neronis Medicos primus, nonnullis additis, quibusdam demtis, viperas ei admiſcuit, cùm jam ante citra harum additionem confectum medicamentum præclarè contra toxica faceret, atque ſic Theriacam conſtruxit, cujus uſus ſub maximis Imperatoribus (ut Galenus lib. de Theriaca ad Piſonem teſtatur) in publicum prodiit, Primatibus, ac exercituum Ducibus opportunus futurus. Ad nobilem autem hanc Antidotum parandam, idem Galenus lib. I. de Antidot. ſibi ex magna Syria, Palæſtina, Ægypto, Cappadocia, Ponto, maximè verò ex Macedonia, & ex provinciis ad Occidentem ſitis, quas Galli inhabitant, & Hiſpani, atque oppoſitas oras incolentes Mauri, medicamenta ad ejus compoſitionem neceſſaria, allata fuiſſe ſcribit. Unde nullis hîc ſumtibus, diligentiæ, aut labori parcendum, ac difficultas propter utilitatem ſuperanda. Cùm autem neminem eam rectè paraturum putaverit Ga-

Galenus, niſi benè parantem priùs viderit, ideo ejus componendæ legitimam normam, multo nobis uſu compertam, lucidiſſime, ne error obrepere poſſit, ſubjunximus. Ea autem ita ſe habet:

THERIACA ANDROMACHI SENIORIS EX GALENO.

℞. Trochiſcorum Scillinorum uncias ſex,
de Vipera,
Piperis longi,
Opii cum aceto depurati,
Trochiſcorum Hedychroi ana uncias tres,
Roſarum rubrarum exſiccatarum,
Ireos Illyricæ, aut Florentinæ,
Succi Glycyrrhizæ,
Seminis Buniadis dulcis, ſeu Napi ſativæ,
Comarum Scordii Cretici,
Opobalſami, vel Olei ex Nuce Moſchata expreſſi,
Cinamomi,
Agarici ana unciam unam ſemis,
Myrrhæ,
Coſti odorati, vel Zedoariæ,
Croci Orientalis,
Caſſiæ ligneæ veræ,
Nardi Indicæ,
Shœnanthi,
Thuris maſculi pellucidi,
Piperis nigri,
albi,
Foliorum Dictamni Cretici,
Comarum Marrubii,
Rhabarbari,
Stœchadis Arabicæ,
Seminis Petroſelini Macedonici,
Calaminthæ montanæ odoratæ,
Terebinthinæ Cypriæ,
Zingiberis,
RadicisPentaphylli ana drachmas ſex,
Polii Cretici,
Chamæpityos,
Styracis Calamitæ,
Mei, vel Angelicæ,
Amomi racemoſi, aut Seminis Citri & Hyperici ana partes æquales,
Calami aromatici,
Cubebarum,
Nardi Celticæ,
Terræ Lemniæ veræ,
Phu Pontici, aut Valerianæ noſtræ,
Comarum Chamædryos Creticæ,
Foliorum Malabatri, aut ejus loco Macis & Caryophyllorum ana partes æquales,
Chalcitidis toſtæ,
Radicis Gentianæ,
Aniſi,
Succi Hypociſtidis,
Carpobalſami,
Gummi Arabici ſplendidi,
Seminis Fœniculi Cretici,
Cardamomi minoris,

Seſeleos Maſſilienſis,
Succi Acaciæ,
Thlaſpios,
Comarum Hyperici,
Ammeos,
Sagapeni ana drachmas quatuor.
Caſtorei,
Ariſtolochiæ longæ,
Seminis Dauci Cretici,
Bituminis Judaici,
Opopanacis,
Comarum Centaurii minoris,
Galbani ana drachmas duas,
Mellis deſpumati triplum, id eſt, libras quatuordecim, uncias quinque, & drachmas duas.

Nobiliſſima hæc Antidotus, a Galeno 1. *de Antidotis*, *& lib. de Theriaca ad Piſonem deſcripta, quæ ante à tranquillitate, quam ægris præſtat,* γαλήνη *dicta eſt, cum varie à variis parari ſoleat, cuilibet per nos methodo ſibi conſueta uti, & ſuo abundare ſenſu licebit; qua in re, nec noſtris Pharmacopœis, in miſcendis ingredientibus, non unum ordinem obſervantibus, hactenus, ad certum eos adſtringendo modum, nimis rigoroſos, aut ſuperciloſos nos præbuimus, certi, modo exacta omnium inſtituatur unio, idem medicamentum enatum iri. Unde ordinem ſaltem antiquitus obſervatum, in paucisſimis tantum immutatum, & miſturam ſatis laudabilem daturum, hic repetere animus eſt.*

Simplicia igitur ad Theriacæ conſtitutionem expetita, eaque omnium ſelectisſima, quæ conteri poſſunt, in ſex Claſſes dividantur, harumque ſingulæ ſeorſim in ſubtilem pulverem redigantur; ac ſi omnia illa, ſi jungantur, conteri ſimul nequeant; ſed, ne tanta moles (cum in magna utplurimum quantitate conficiatur,) trituram difficiliorem reddat; quamvis non omnino negare velimus, aliquid hic potius opinioni, & conſuetudini, imo & pompæ, ſi non apud vulgum proficuæ, ſaltem non damnoſæ, dari, liberum interea aliis relinquendo, ſimplicia iſta vel juncta, vel in partes pro lubitu diviſa, in pulverem redigere.

Præfatæ autem Claſſes hoc modo ſe habent:

I. CLASSIS.

℞. Ireos Illyricæ,
Scordii Cretici,
Seminis Buniadis ana unciam unam ſemis,
Aniſi,
Seſeleos,
Polii Cretici ana unciam ſemis,
Zedoariæ electæ drachmas ſex.

Pendit hæc Claſſis in univerſum libram ſemis, drachmas ſex.

II. CLASSIS.

℞. Gentianæ,

Cha-

Chamædryos,
Fœniculi Cretici,
Amomi ana unciam ſemis,
Pentaphylli,
Marrubii,
Calaminthæ montanæ ana drachmas ſex.

Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias quatuor, drachmas duas.

III. CLASSIS.

℞. Radicis Mei, ſeu Angelicæ,
Phu Pontici,
Nardi Celticæ,
Chamæpityos,
Seminis Thlaſpios ana unciam ſemis,
Ariſtolochiæ longæ drachmas duas,
Dictamni Cretici drachmas ſex.

Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias tres ſemis.

IV. CLASSIS.

℞. Roſarum rubrarum unciam unam ſemis,
Florum Hyperici unciam ſemis,
Centaurii minoris,
Seminis Dauci ana drachmas duas,
Petroſelini Macedonici drachmas ſex,
Trochiſcorum de Vipera uncias tres,
de Scilla uncias ſex.

Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias duodecim, drachmas duas.

V. CLASSIS.

℞. Seminis Ammeos,
Calami Aromatici ana unciam ſemis,
Cinamomi optimi unciam unam ſemis,
Caſſiæ ligneæ,
Rhabarbari ana drachmas ſex,
Piperis longi uncias tres.

Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias ſeptem.

VI. CLASSIS.

℞. Zingiberis albi,
Piperis nigri,
albi ana drachmas ſex,
Folii,
Cubebarum,
Cardamomi ana unciam ſemis,

Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias tres, drachmas ſex.

Sequentia autem ſingula per ſe terantur, utpote

Myrrhæ,
Thuris albi,
Croci Orientalis ana drachmæ ſex,
Agarici Trochiſcati uncia una ſemis,
Caſtorei,
Bituminis Judaici ana drachmæ duæ,

Terræ Lemniæ veræ,
Chalcitidis toſtæ ana uncia ſemis.

Porrò:

Schœnanthi,
Spicæ Indicæ,
Stœchadis Arabicæ ana drachmæ ſex,

forfice minutim incidantur, mucilagine tragacanthi imbuantur, iterumque exſiccatæ in pulverem conterantur.

Trochiſcorum Hedychroi ingredientia, poſtquam eorum uſus, præter eum, Theriaca quem poſtulat, amplius apud nos haud ſupereſt, nunquam in illam orbicularem formam redacta, ſed debito tantum in pondere, inque pollinem redacta (Oleum Caryophyllorum pro mixtura ad finem jam deducta ſervando) huc accerſere, ceu ſupra jam monuimus, hactenus conſuevimus.

Nunc vero Gummi & Reſinæ, Terebinthina Cypria, & Styrace exceptis, utpote Sagapeni uncia ſemis, Opopanacis drachmæ duæ, Gummi Arabici uncia ſemis, per ſe vino Cretico diſſoluta, ac eliquata per ſetaceum, tenuis pulticulæ forma exprimantur: hoc facto, ad permixtionem ſic accedes: Primò ſex claſſes Medicamentorum, in tenuem pollinem redactas, una cum iis, quæ per ſe terenda monuimus, nec non ſpeciebus Trochiſcorum Hedychroi, (Terra Lemnia, Croco, & Chalcitide exceptis) commiſcebis, diligenter pulveres agitando, ut adcurate, & per minima permixti, paulatim poſtmodum Melli & reliquis liquidioribus miſceri queant, eo plane modo, quem jam tradituri ſumus.

His igitur ita rite diſpoſitis, in cacabum magnum, ſex circiter Mellis deſpumati, ac modice calentis unciæ infundendæ, eæque piſtillo magno ligneo, ita hinc inde diducendæ, ut cacabi jam dicti fundus & parietes aliquouſque Melle hoc tenuiſſime obducti, & quaſi peruncti videantur. Tunc omnium primo Terebinthina Cypria ſupra prunas leni calore liquata, addito pauco Melle, & vino Cretico, eidem aheno indenda, quam mox Gummium expreſſus quaſi cremor, identidem vino Cretico modice dilutus, & leniter calefactus ſubſequatur. Abhinc Succi & Liquores concreti, nempe Succus Acaciæ, Glycyrrhizæ, Hypociſtidis, ipſumq; Opium compoſitioni jungantur, quæ omnia ac ſingula vino Cretico diſſoluta, & colata, una cum prioribus aheno inditis, continua ac indeſinenti agitatione probe permiſceantur. Hoc facto, Mellis deſpumati mediocriter calentis libræ aliquot immittantur, atque facta iterum diligenti omnium jam dictorum unione, pulveres ſex claſſium per cribrum anguſtum paulatim inſpergantur, continuaque agi-

agitatione ſic accurate permiſceantur, ne quid grumeſcat, ſed compoſitio ipſa evadat æqualis, ac tenera, atque ſic alternis vicibus modo Mellis portio aliqua adfundenda, modo pulveres inſpergendi, donec omnis pulverum quantitas Melli unita fuerit. Tunc vero Terra Lemnia, & poſt eam Chalcitis, utraque prius vino Cretico diluta, adjicienda; abhinc Styrax Calamita, addito modico vino Cretico, ſuper prunas liquefiat, ac Oleo Nucis Moſchatæ addito artificiose, ne grumeſcat, diſſolvatur, compoſitioni que addatur. Quæ ubi probe una cum cæteris omnibus mixta fuerint, Crocus, eodem vino Cretico dilutus, Theriacam intret, & poſtremo Oleum Caryophyllorum, quod a Trochiſcis Hedychrois, in quorum ſtructura Opobalſami vices ſupplere debebat, huc accedit, Medicamentumque diu ac ſtrenue agitandum, ut omnium eo perfectior fiat mixtio, idque in vaſe mundo reponendum, cujus tertia, vel ad minimum quarta pars vacua ſuperſit, ut Theriaca fermentando in ampliorem molem accreſcens, & inſurgens, commode per dies aliquot in eo agitari queat. Eſt enim ad dies minimum octo continuos quotidie commovenda, deinde vero ſingulis hebdomadibus, ac tandem ſingulis menſibus agitanda, donec anni unius ætatem attigerit, ſemper eam diligenter contegendo, & ab externis injuriis muniendo; eritque ſic Theriaca omnibus ſuis numeris abſoluta, eos effectus præſtans, quos vetus ſeculum, atque etiam modernum, de tam nobili, ac pretioſo Medicamine pollicetur.

Quandoquidem vero conficiendæ Theriacæ labor vix, ob parvam ejus copiam præparandam, ſuſcipitur, cum ſi ſecundum deſcriptionem ſimplicem diſpenſetur, vix viginti libras conſtituat, ideo ejusdem in duplo, quadruplo, ſextuplo, octuplo, decuplo & duodecuplo conſtruendæ Schematiſmum ſubjecimus, adjecta ſingulis ingredientibus debita ponderis nota, ut Pharmacopœos ſupputationis onere levaremus. Schematiſmus vero clarus, & facilis hic eſt:

THERIACA ANDROMACHI.		*In ſimplo.*	*In duplo.*	*In quadruplo.*	*In ſextuplo.*	*In octuplo.*	*In decuplo.*	*In duodecuplo.*
℞. Trochiſcorum Scillinorum,		℔. s.	℔. I.	℔. II.	℔. III.	℔. IV.	℔. V.	℔. VI.
de Vipera,								
Hedychroi,								
Piperis longi,								
Opii, - - -	ana	℥. III.	℥. VI.	℔. I.	℔. I. s.	℔. II.	℔. II. s.	℔. III.
Roſarum rubrarum exſiccatarum,								
Ireos Illyricæ,								
Succi Glycyrrhizæ,								
Seminis Buniadis,								
Comarum Scordii Cretici,								
Olei Nucis Moſchatæ expreſſi,								
Cinamomi,								
Agarici Trochiſcati, - - -	ana	℥. I. s.	℥. III.	℥. VI.	℥. IX.	℥. XII.	℥. XV.	℥. XVIII.
Myrrhæ,								
Coſti odorati,								
Croci Orientalis,								
Caſſiæ ligneæ veræ,								
Nardi Indicæ,								
Schœnanthi,								
Thuris maſculi,								
Piperis nigri,								
albi,								
Foliorum Dictamni Cretici,								
Comarum Marrubii,								
Rhabarbari electi,								
Stœchadis Arabicæ,								
Seminis Petroſelini Macedonici,								

Ca-

		In ſimplo.	*In duplo.*	*In quadruplo.*	*In ſextuplo.*	*In octuplo.*	*In decuplo.*	*In duodecuplo.*
Calaminthæ montanæ,								
Terebinthinæ Cypriæ,								
Zingiberis albi,								
Radicis Pentaphylli, - - -	ana	ʒ. vi.	℥. i, s.	℥. iii.	℥. iv, s.	℥. vi.	℥. vii, s.	℥. ix.
Polii Cretici,								
Chamæpityos,								
Styracis Calamitæ,								
Mei,								
Amomi racemoſi,								
Nardi Celticæ,								
Terræ Lemniæ veræ,								
Phu Pontici,								
Chamædryos,								
Folii,								
Chalcitidis toſtæ,								
Radicis Gentianæ,								
Aniſi torrefacti,								
Hypociſtidis,								
Cubebarum,								
Gummi Arabici ſplendidi,								
Seminis Fœniculi Cretici,								
Cardamomi minoris,								
Seminis Seſeleos,								
Succi Acaciæ,								
Thlaſpios,								
Comarum Hyperici,								
Ammeos,								
Calami Aromatici,								

		In ſimplo.	*In duplo.*	*In quadruplo.*	*In ſextuplo.*	*In octuplo.*	*In decuplo.*	*In duodecuplo.*
Sagapeni, - -	ana	℥. s.	℥. I.	℥. II.	℥. III.	℥. IV.	℥. V.	℥. VI.
Caſtorei,								
Ariſtolochiæ longæ,								
Seminis Dauci Cretici,								
Bituminis Judaici,								
Opopanacis,								
Florum Centaurii minoris,								
Galbani recentis,	ana	ʒ. II.	℥. s.	℥. I.	℥. I. s.	℥. II.	℥. II. s.	℥. III.
Mellis deſpumati triplum.	ſeu	℔. 14. ℥. 5. ʒ. 2.	℔. 28. ℥. 10. ʒ. 4.	℔. 57. ℥. 9.	℔. 86. ℥. 7. ʒ. 4.	℔. 115. ℥. 6.	℔. 144 ℥. 4. ʒ. 4.	℔. 173. ℥. 3.

Vires Theriacæ quod concernit, etſi nemo inficias ire queat, compoſitionem hanc ſcatere pluribus ſuperfluis, & incongruis, dum v. gr. ex calidis, frigidis, amaris, acidis, dulcibus, purgantibus, adſtringentibus, narcoticis, ſudoriferis, diureticis &c. conſarcinatur, nihilominus ob communiſſimum uſum è foro Medico non excluditur, virtute præſertim alexipharmaca prædicta eſſe cenſetur, conducit etiam in affectibus ſtomachi, vermes pellit, febres curat, atque uterum calefacit, & roborat. Datur ad drachmam, quæ continet granum unum Opii, externe umbilico, & ventriculo applicatur, in confortando ſtomacho, & fluxibus alvi.

Nota, quod Theriacæ atque Mithridatii deſcriptiones, ex Pharmocopœa Auguſtana, cum bene ſeſe habeant, deſumere lubuerit.

THERIACA COELESTIS.

℞. Pulpæ Squillæ uncias ſex,
Allii uncias duas,
Viperarum præparatarum,
Serpentum noſtratium præparatarum,
Opii ana uncias ſex,
Myrrhæ,
Croci, ana uncias duas,
Caſtorei unciam unam,
Piperis longi uncias ſex,
Cinamomi uncias tres,
Calami aromatici,
Caſſiæ ligneæ,
Coſti veri,
Piperis albi,
nigri,
Schœnanthi,
Spicæ Indicæ,
Stœchadis Arabicæ,

Zin-

Zingiberis albi ana unciam unam ſemis,
Cardamomi,
Folii,
Galangæ,
Caryophyllorum,
Macis,
Spicæ Celticæ ana unciam unam,
Cubebarum uncias duas,
Florum Roſarum rubrarum uncias tres,
Hyperici,
Centaurii minoris,
Calendulæ ana unciam unam,
Baccarum Juniperi,
Lauri ana uncias duas,
Paridis,
Myrobalanorum Chebularum,
Emblicarū ana uncias quinque,
Herbæ Cardui Benedicti,
Dictamni Cretici,
Galegæ,
Rutæ ana uncias tres,
Scordii uncias ſex,
Abrotani,
Chamædryos,
Chamæpityos,
Calaminthæ montanæ,
Marrubii,
Origani,
Polii Cretici,
Rorismarini,
Salviæ minoris,
Scabioſæ ana unciam unam,
Majoranæ,
Mari veri,
Ligni Aloës,
Santali citrini,
Aſpalathi ana uncias quinque,
Radicis Angelicæ,
Zedoariæ ana uncias tres,
Ariſtolochiæ rotundæ veræ,
Cardopatii,
Dictamni albi,
Gentianæ,
Imperatoriæ,
Petaſitidis,
Pimpinellæ,
Scorzoneræ,
Biſtortæ,
Tormentillæ,
Succiſæ,
Valerianæ Sylveſtris,
Vincetoxici ana uncias duas,
Ariſtolochiæ longæ,
Aſari,
Cyperi rotundæ,
Contrayervæ ana unciam unam,
Cruciatæ,
Enulæ campanæ,
Iridis Florentinæ,
Meu,
Pentaphylli,
Phu Pontici,
Rhabarbari,
Agarici ana unciam unam,

Seminis Buniadis,
Cardui Benedicti,
Citri ana uncias tres,
Aquilegiæ,
Amomi racemoſi,
Aniſi torrefacti,
Dauci Cretici,
noſtratis,
Fœniculi Cretici,
Hyperici,
Petroſelini Macedonici,
noſtratis,
Rutæ,
Seſeleos,
Thlaſpi ana unciam unam,
Succi Liquiritiæ uncias tres,
Acaciæ,
Hypociſtidis ana unciam unam,
Olibani in granis unciam unam ſemis,
Sagapeni,
Sandaracæ ana unciam unam,
Aſphalti,
Galbani,
Maſtiches,
Opopanacis ana uncias quinque,
Camphoræ drachmas duas,
Terræ Sigillatæ Sileſiacæ unciam unam ſemis,
Gummi Arabici,
Cornu Cervi præparati ana unciam unam,
Olei Nucis Moſchatæ expreſſi uncias tres,
Styracis expreſſi unciam unam,
Olei Caryophyllorum unciam unam ſemis,
Succini unciam ſemis,
Spiritus Terebinthinæ unciam unam ſemis,
Spiritus Vitrioli correcti unciam unam,
Balſami Peruviani uncias tres.

Paratarum ex his extractionum, & Eſſentiarum, juſto ponderi adduntur.

Serpentum noſtratum præparatorum,
Caralliorum præparatorum,
Matris Perlarum præparatæ,
Oculorum Cancri præparatorum,
Margaritarum Orientalium præparatarum ana drachmas quinque,
Chryſolithi ſoluti,
Granati ſoluti,
Hyacinthi ſoluti,
Rubini ſoluti,
Smaragdi ſoluti ana drachmas tres,
Salis Coralliorum,
Matris Perlarum,
Oculorum Cancrorum,
Perlarum Orientalium,
Bezoardici Animalis,
Mineralis ana drachmas duas,
Galredæ Cornu Cervi uncias duas,
Lapidis Bezoar Orientalis,
Occidentalis ana drachmas duas,
Cor-

Cornu Alcis præparati,
Oſſis de corde Cervi præparati,
Terræ ſigillatæ Sileſiacæ,
Turcicæ,
Unicornu foſſilis,
veri ana drachmam unam ſemis,
Ambræ gryſeæ,
liquidæ ana drachmam unam,

Ad extractiones & ſolutiones adhibentur

Spiritus Vini,
Acetum,
Aqua,
Oleum,
Spiritus Veneris.

Theriaca hæc cœleſtis ad mentem Quercetani à Dn. Greiffio, Pharmacopæo Tubingenſi ſolertisſimo, primum adornata, poſtmodum ab aliis pluribus etiam Pharmocopœis noſtratibus exculta, & confecta miris laudibus extollitur. Vires ejus prædicantur Alexipharmacæ, ſudoriferæ, dolorum ſedativæ, ſomnique conciliatrices, vi quoque adſtringente pollet, uti & in alvi fluxibus celebratur.

Doſis ad granum unum, ad grana ſeptem, drachma continet circiter grana duo Opii.

THERIACA DIATESSARON.

℞. Gentianæ,
Baccarum Lauri,
Myrrhæ,
Ariſtolochiæ rotundæ ana uncias duas,
Mellis deſpumati libras duas.

Deſcribitur ab Avicenna & Meſue. Ad venenatos morſus & potus efficax, omnesque cerebri frigidos affectus, convulſiones, reſolutionem, morbum comitialem, ventriculi inflationem, ac coctionis tarditatem. Hanc pasſim agyrtæ, & circumforanei circumferunt, & pro magna Theriaca venalem exhibent.

Theriaca hæc, licet jumentis communiter exhibeatur, hominibus tamen identidem ſalutaris exſiſtit. Valebit autem plurimum contra peſtilentis luis infectionem, aliorumque morborum malignorum contagia, ſi ei Terram Lemniam, aut Bolum Armenam, Dictamnum album, Tormentillam, Scordium, Carlinam, Zedoariam, vel Angelicam, aucto Mellis pondere junxeris. Notabis autem, vulgares illas radices pro Ariſtolochiæ radicibus nonnunquam venundari ſolitas, Piſtolochiæ radices eſſe, vulgo Holwurtz dictas. Ariſtolochia vero vera, radix eſt longe major, & tuberoſa, intus ſolida, colore Buxi flavo, odorem & ſaporem Ariſtolochiæ longæ noſtratis referens.

TRYPHERA MAGNA NICOLAI.

℞. Opii drachmas duas,
Cinamomi,
Caryophyllorum,
Galangæ,
Spicæ Indicæ,
Zedoariæ,
Zingiberis,
Coſti,
Styracis Calamitæ,
Cyperi,
Calami aromatici,
Radicis Ireos Illyricæ,
Peucedani,
Acori, aut Galangæ majoris,
Corticis Mandragoræ,
Roſarum rubrarum,
Nardi Celticæ,
Piperis,
Aniſi,
Apii,
Petroſelini,
Fœniculi,
Dauci,
Hyoſcyami,
Hyſſopi,
Seminis Ocymi ana drachmam unam,
Mellis deſpumati triplum, ſeu uncias decem ſemis.

Putredines humorum emendat, & bonum corporis habitum reſtituit, porro, ad omnia muliebria a frigiditate nata vitia efficax eſt, infantibus quoque propinatur, ſed parce exhibenda.

CLASSIS SEXTA
IN QUA
ELIXYRIA
DESCRIBUNTUR.

ELIXYR ANTIFEBRILE, SEU ESSENTIA ANTIFEBRILIS WEDELII.

℞. Radicis Galangæ,
Zedoariæ,
Summitatum Abſinthii ana unciam unam,
Acori veri drachmas ſex,
Chinæ Chinæ,
Ligni Colubrini,
Caſſiæ Caryophyllatæ,
Florum Centaurii minoris ana drachmas tres,
Corticum Citri,
Aurantiorum,
Rhabarbari electi ana drachmas duas,
Macis,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum ana drachmam unam ſemis,
Coſti veri,

Schœ-

Schœnanthi ana drachmam unam,

Inciſis & mixtis affunde Spiritus Salis unciam unam, & cum Spiritus Vini rectificatiſſimi libris quatuor, lege artis, extrahe Tincturam.

Ob vim aromaticam, & antifebrilem commendatur in febribus intermittentibus, ad obſtructiones tollendas, humores viſcidos incidendos, & ad febrim profligandam; datur bis, vel ter de die, ad guttas triginta, quadraginta, & ultra, in corporibus phlegmaticis, & obeſis. Commode etiam uſurpatur poſt profligatas febres, ad recidivam præcavendam.

ELIXYR APERITIVUM CLAUDERI.

℞. Salis Cinerum Clavellatorum depuratorum uncias duas,
Aquæ Florum Sambuci,
Cochleariæ,
Naſturtii ana ad eminentiam quatuor vel quinque digitorum,

Solutio filtretur, & affundatur groſſe pulveriſatæ

Aloës,
Myrrhæ ana uncia una,
Croci uncia ſemis.

Fiat Elixyr.

Virtutibus æmulatur Elixyr dulce, ſed præſtat in eo, quod ob menſtruum aqueum in ſubjectis, ubi Spiritus Vini exulare debet, verbi gratia, in quibusdam febribus, & etiam ipſis pueris exhiberi poſſit; Doſis ad guttas quindecim in junioribus, ad quadraginta, & plures in adultis.

ELIXYR CACHECTICUM ETTMULLERI.

℞. Aloës unciam unam,
Gummi Ammoniaci drachmas ſex,
Myrrhæ unciam ſemis,
Croci drachmas duas,
Tincturæ Tartari quantum ſufficit.

Digere & extrahe Elixyr.

Datur ad guttas triginta, quadraginta, & ultra. Vires ex nomine patent, obſtructiones reſerat, humoreſque viſcidos, & pituitoſos incidit.

ELIXYR CITRI PURGANS.

℞. Reſinæ Gialappæ unciam unam,
Flavedinis Corticum Citri recentium unciam unam ſemis,
Spiriti Vini rectificatiſſimi uncias ſex,

Fiat diſſolutio in loco calido, ſervetur, tempore uſus edulcoretur quantitate ſufficiente Syrupi Corticum Citri.

Gratum hoc Elixyr humidioris, & robuſtioris conſtitutionis homini-

minibus, qui alias remediorum formulas averſantur, ad drachmam unam uſque, & paulo ultra, pro ratione circumſtantiarum exhiberi poteſt, drachmæ Spiritus Vini reſpondent decem grana Reſinæ Gialappæ.

ELIXYR DULCE, VEL PROPRIETATIS DULCE.

℞. Aloës,
Myrrhæ ana uncias duas,
Croci unciam ſemis,

Ex pulveriſatis, & cum liquore Nitri fixi in paſtam redactis, cum ſufficiente quantitate Spiritus Vini, lege artis, extrahatur Elixyr.

Viribus cum Elixyr proprietatis convenit, niſi quod ob menſtruum alcaliſatum in morbis nonnullis conducat, ubi acidum minus convenit. Datur quoq; eadem doſi, & vocatur dulce, non quod ſaporem obtineat dulcem, ſed quod acido careat. Notandum, quod hæc Elixyria proprietatis cum alcalibus præparata ſe miſceant vino & aqueis vehiculis ſine præcipitatione.

ELIXYR EMETICUM.

℞. Vitri Antimonii unciam unam,
Spiritus Vitrioli uncias ſex,
Tartari albi uncias duas,
Myrrhæ electæ ſcrupulum unum,
Ambræ Gryſeæ grana octo.

Omnia inciſa, & contuſa ordine debito indantur matratio, & ſuperaffundatur Spiritus Vitrioli, obturato matratio alio bene clauſo, macerentur per horam ſupra cineres calidos: deinde bulliant leviter per viginti quatuor horas. Vaſe refrigerato tincturam decanta, & ſerva in vaſe vitreo bene clauſo.

Purgat per vomitum, & ſeceſſum, doſis in adultis a guttis viginti, ad triginta, aut quadraginta, in juſculo, vino, aut liquore alio appropriato: convenit in Hydrope, Ictero, Febre quartana, & viſcerum obſtructionibus, ſeptem grana cum dimidio Vitri Antimonii, per acidum Vitrioli fixati, reſpondent circiter drachmæ uni liquoris.

ELIXYR JUNIPERINUM, SIVE MALVATICUM JUNIPERINUM.

℞. Rob Juniperi uncias quatuor,
Vini Malvatici libram unam.

Miſceantur in vaſe terreo, piſtillo marmoreo, vel vitreo, ſtent in digeſtione. Tinctus liquor colligatur percolatione per linteum cum expreſſione, ſervetur uſui.

Tuto poterit in majori doſi dari, ad aliquot drachmas, ad unciam dimidiam, ſive ad cochleare unum ad

ad aliquot, pro ſcopo Diuretico, & uti volunt, Lithontriptico, in Hydrope quoque convenit.

ELIXYR MELLIS WALDSCHMIDII.

℞. Mellis uncias quatuor,
Spiritus Vini uncias quatuor,

Digere per ſeptem dies, Colaturæ adde

Spiritus Salis Armoniaci uncias duas.

Digere per duos dies, fiat Elixyr.

Datur præcipue in aſthmate, præſertim ſtomachali, difficultate reſpirandi cum tusſi conjuncta, ubi appetitus languet, & anxietas circa præcordia adeſt. Doſis ad guttas viginti, triginta, & plures.

ELIXYR PECTORALE WEDELII.

℞. Radicis Helenii unciam unam,
Herbæ Rorellæ unciam unam ſemis,
Benzoin drachmas ſex,
Myrrhæ,
Radicis Liquiritiæ ana unciam ſemis,
Gummi Ammoniaci drachmas duas,
Seminis Aniſi unciam ſemis,
Croci drachmas tres,
Radicis Iridis Florentinæ,
Ligni Santali rubri ana unciam unam,
Spiritus Vini rectificatiſſimi quantum ſufficit,

Fiat Elixyr.

Commendatur in aſthmate, tusſi, raucedine &c. Doſis eſt ad guttas viginti, triginta, & ultra, pro ratione circumſtantiarum.

ELIXYR PROPRIETATIS PARACELSI.

℞. Aloës,
Myrrhæ ana uncias duas,
Croci unciam unam.

Omnia cum Spiritu Vini rectificato, (Myrrham tamen prius Spiritu Sulphuris irrigando, ut fiat quaſi paſta,) ad ſupereminentiam trium transverſim poſitorum digitorum adfuſo, digerantur per octiduum, Spiritus tinctus decantetur, & novo Spiritu Vini ſpeciebus addito, iterum fiat digeſtio, tandem liquores tincti jungantur, filtrentur, & ad uſum ſerventur. Nota, melius eſſe, ſi prius tota maſſa Spiritu Vini humectetur, & tum demum Spiritus Sulphuris addetur, & rurſus Spiritus Vini affunditur, alias maſſa nigredinem concipit.

A Paracelſo Authore ſic dictum, quemadmodum Aloës & Myrrha mumias cuſtodiunt a putreſiendi aptitudine, ita corpus vivum a putredinis labe vindicat, & a peſte, morbis malignis, præſervat, ſtomacho quoque dicatum eſt,

eſt, anorexiam, atque dyſpepſiam corrigit, vermes necat, urinam & menſes, atque hæmorrhoides pellit, in affectibus hypochondriacis conducit, ictero que medetur, & alvum laxat, Doſis ad guttas decem, viginti, triginta &c. ſi autem laxare debet, ultra drachmam eſt ſumendum, Cholerici, ſiccioris naturæ, & ad hæmorrhagias inclinantes ab hoc, ſimilibusque remediis debent ſibi cavere.

ELIXYR PROPRIETATIS RHABARBARINUM.

℞. Aloës,
Myrrhæ ana uncias duas,
Croci unciam ſemis,
Rhabarbari uncias tres,
Salis Tartari unciam ſemis.

Pulveriſatis affunde Vini generoſi libras tres, ſtent in digeſtione per tempus, tunc colentur, & ſerventur.

Hoc ab Elixyrio dulci in eo tantum diſcrepat, quod ratione menſtrui mitius ſit, & in majori doſi aſſumi queat, perque inferiora purget ob Rhabarbarum, datur ad drachmas duas, uſque ad unciam ſemis in vehiculo.

ELIXYR UTERINUM CROLLII.

℞. Caſtorei libram ſemis,
Croci uncias duas,

Extrahe tincturam cum Spiritu Vini, & ſepara ſpiritum ad remanentiam extracti, cui adde

Extracti Artemiſiæ uncias quatuor,
Salis Matris Perlarum unciam unam,
Oleorum deſtillatorum Aniſi,
Angelicæ,
Succini ana drachmas duas,

Olea deſtillata in ſufficiente quantitate Spiritus Vini ſuperius abſtracti ſoluta, & cum reliquis mixta per octo dies digerantur, poſtea filtrentur.

Ad varios uteri morbos ſuffocationem minitantes, ad menſium ſupresſionem, fluxum album muliebrem, partum quoque difficilem &c. commendatur, doſis eſt ſcrupulus unus, ad ſcrupulos duos.

ELIXYR VITÆ MATTHIOLI, SIVE AQUA VITÆ MATTHIOLI.

℞. Cinamomi drachmas decem,
Zingiberis drachmas quinque,
Santali Citrini unciam unam ſemis,
Zedoariæ drachmas quinque,
Caryophyllorum,
Galangæ,
Nucis Moſchatæ ana drachmas tres,
Macis drachmas duas,
Ligni Aloës,

Cu-

Cubebarum ana drachmam unam,
Cardamomi utriuſque ana drachmas tres ſemis,
Seminis Melanthii drachmas tres,
Aniſi,
Fœniculi,
Paſtinacæ ſylveſtris,
Ocymi,
Radicis Angelicæ,
Caryophyllatæ,
Calami odorati,
Phu minoris,
Foliorum Sclareæ,
Thymi,
Calaminthæ,
Pulegii,
Menthæ,
Serpilli,
Amaraci ana drachmas duas,
Florum Roſarum rubrarum drachmas tres ſemis,
Salviæ,
Betonicæ,
Rorismarini,
Stœchadis,
Buglоſſi,
Borraginis ana drachmam unam ſemis,
Corticum Citri drachmas tres,

Inciſa, & contrita macerentur in libris duodecim Spiritus Vini rectificati, per quindecim dies, poſtea deſtillentur, & in prolecto liquore infundantur

Santali Citrini drachmæ duæ ſemis,
Ambræ gryſeæ,
Moſchi Orientalis ana drachma ſemis,

Poſt filtrationem addendo
Julepi Roſarum libram unam.
Tingatur Coccionella.

Ommiſſo Moſcho vocatur Elixyr Vitæ Matthioli incompletum, cum aromatibus conſtet cum Spiritu Vini extractis, vim obtinet ſtomachicam, carminativam, cordialem, atque cephalicam. Datur ad drachmam, ad unciam ſemis, vel cochleatim per ſe, vel cum aliis commiſcetur.

ELIXYR VISCERALE BOECLERI.

℞. Aloës Succotrinæ,
Myrrhæ Alexandrinæ ana unciam unam,
Croci Auſtriaci unciam ſemis.

Affunde pulveriſatis liquoris Nitri fixi per ſe facti quantitatem ſufficientem, ſtent in leni digeſtione ad tincturæ extractionem. Liquorem tinctum decanta, affunde Spiritus Vini rectificatiſſimi partem æqualem. Miſce optime, agitando bacillo ligneo, donec ambo liquores coierint, id quod exinde cognoſci poteſt, ſi craſſior conſiſtentia compareat. Claudatur exa-

cte vitrum, & ponatur in leniſſimum calorem, quouſque videris ſeparatum à liquore Spiritum Vini rubicundiſſimo colore ſplendente ſupernatare, hunc per decantationem ſepara, & ad Elixyris conſiſtentiam abſtrahe.

Virtutibus pollet iisdem ac Elixyr dulce, eodemque modo uſurpatur.

ELIXYR VITRIOLI MYNSICHTI CORRECTUM.

℞. Galangæ minoris unciam ſemis,
Calami Aromatici unciam unam,
Menthæ criſpæ,
Salviæ acutifoliæ ana unciam ſemis,
Cinamomi electi,
Caryophyllorum,
Zingiberis albi ana drachmas tres,
Nucis Moſchatæ,
Cubebarum ana drachmas duas,
Ligni Aloës ponderoſi,
Corticis Citri ana drachmam unam,

Miſce, fiat pulvis, cui adde

Sacchari candi uncias quatuor,

Poſtea humectentur Spiritu Vini optimo, ut fiat mixtura mellis inſtar, tunc ei in vitro affunde

Spiritum Vitrioli volatilem ad eminentiam quatuor digitorum, ac digere per ſeptimanas aliquot, tandem liquorem tinctum ſepara, & filtra, relictæ vero materiæ affunde Spiritus Vini quantum ſatis, & ulterius Eſſentiam extrahe, poſtea extractiones omnes miſce, & per quatuordecim dies leni calore circula, & ad uſum ſerva.

Laudatur tanquam nobile ſtomachicum, præſertim in cruditatibus bilioſis, & nidoroſis, in acidis enim exulare debet. Doſis ad guttas decem, viginti, & plures in vehiculo.

CLAS-

CLASSIS SEPTIMA EMPLASTRA DESCRIBENS.

EMPLASTRUM ALBUM COCTUM.

℞. Olei libras duas,
Ceruſſæ libram unam ſemis,
Ceræ albæ uncias quatuor.

Ceruſſam cum Oleo, leni igne ad debitam conſiſtentiam coquendo, & tandem Ceram in eo liquefaciendo, fiat Emplaſtrum.

Dicitur & Emplaſtrum de Ceruſſa, & ſola coctione, ac conſiſtentia ab Unguento albo differt. Intertriginibus quacunque ex cauſa ſuccurrit, & leves cutis exulcerationes ſanat, ulceribus quoque ſordidis dicatum eſt, quia valide exſiccat & refrigerat, cicatricem quoque inducit, conducit quoque ad vulnera recentia leviora facile conſolidanda.

EMPLASTRUM, SIVE CERATUM DE AMMONIACO FORESTI.

℞. Gummi Ammoniaci præparati unciam ſemis,
Unguenti Dialthææ,
Emplaſtri de Meliloto ana drachmas duas,
Furfurum frumenti optime cribratorum unciam ſemis,
Pulveris Radicis Bryoniæ ſiccæ,
Ireos Illyricæ ana drachmas duas,
Pinguedinis Anatis,
Anſeris,
Gallinæ ana drachmam unam ſemis,
Bdellii,
Galbani præparati ana ſcrupulos duos, grana ſex,
Olei Irini drachmas ſex,
Mucilaginis Seminis Fœni Græci,
Lini ana unciam unam ſemis,
Ceræ uncias duas,
Terebinthinæ,
Reſinæ Pini ana drachmas ſex.

Mucilagines cum Oleo, & Pinguedinibus coquantur ad humidi aquoſi exhalationem, poſtea addantur Cera & Reſina invicem liquata & colata, atque his ab igne remotis, ac ſemirefrigeratis

Unguentum de Althæa, & Emplaſtrum de Meliloto, nec non poſt reliquorum pulverem, Ammoniacum, & Galbanum cum Terebinthina ſoluta. Fiat Ceratum.

Malacticum, & plurimi uſus, ac emolumenti eſſe dicitur, in omnibus affectibus externis, digeſtionem, & coctionem requirentibus, inflammationes ſedat, indurata emollit, ulcera detergit, vulnera conſolidat, & callum obducit.

EMPLASTRUM ANODYNUM D. SCHMIDII.

℞. Radicis Althææ unciam unam,
Seminis Althææ unciam dimidiam,
Lini drachmas ſex,
Succi Malvæ,
Chamomillæ ana uncias quatuor,
Vini albi mediocris libram dimidiam,

Extrahatur mucilago, huic adde

Baccarum Lauri drachmas duas,
Radicis Ireos drachmas quinque,
Curcumæ,
Helenii,
Seminis Ammeos,
Foliorum Majoranæ ana drachmam unam,
Croci drachmam dimidiam,
Caricarum pinguium numero ſex,
Gummi Ammoniaci aceto ſoluti unciam unam,
Colophonii uncias duas cum dimidia,
Terebinthinæ,
Sevi Vitulini ana unciam unam cum dimidia,
Ceræ Citrinæ quantum ſufficit, ſcilicet uncias novem,
Olei Samſuchi, & Irini ana unciam unam cum dimidia.

Fiat lege artis Emplaſtrum, cui in fine adde Olei Abſinthii deſtillati drachmam dimidiam.

Hoc Emplaſtrum emollit, maturat, & ad ſuppurationem deducit, ſimulque egregie mitigat, ac dolores demulcet.

EMPLASTRUM APOSTOLORUM.

Pro hoc ſumitur Emplaſtrum Triapharmacum.

EMPLASTRUM DE BACCIS LAURI.

℞. Thuris,
Maſtiches,
Myrrhæ ana unciam unam,
Baccarum Lauri uncias duas,
Cyperi,
Coſti ana unciam unam,
Olei Laurini,
Terebinthinæ Venetæ,

Ce-

Ceræ citrinæ ana quantum ſufficit.

Fiat, ſecundum artem, Emplaſtrum, Oleo, Terebinthina, & Cera invicem liquatis, poſt factam ab igne depoſitionem, cætera immiſcendo.

Ventriculi, inteſtinorum, jecoris, renum, veſicæ, uteri, & partium aliarum dolorem a flatibus, aut a frigida, uti loquuntur, intemperie ortum, ſanat.

EMPLASTRUM DE BETONICA, SIVE CERATUM EX BETONICA.

℞. Terebinthinæ,
Reſinæ Pini,
Ceræ flavæ ana uncias duas,
Pulveris Betonicæ unciam ſemis,
Maſtiches,
Thuris ana drachmas duas,
Mumiæ drachmam unam ſemis,

Fiat, Ceræ, cum reſina liquatæ, colatæ, ac poſtea ſemirefrigeratæ, addendo Terebinthinam, & reliquorum pulveres, ſecundum artem, Ceratum.

Ad exſiccandos varios humores Cerebri, Cephalæam, Cephalalgiam, Catarrhos, aliosque Capitis affectus conducere dicitur, in vulneribus Capitis præſertim adhibetur, ubi detergit, & ad cicatricem perducit.

EMPLASTRUM CATAGMATICUM, SEU AD FRACTURAS OSSIUM.

℞. Radicis Symphyti majoris,
Althææ,
Viſci querni ana uncias duas,
Plantaginis,
Chamæpityos,
Hyperici ana manipulum unum,

Fiat decoctio in æquis partibus Vini rubri, & aquæ Fabrorum, ad medias. Colaturæ adde

Mucilaginis Seminis Cydoniorum, cum decocto Ariſtolochiæ rotundæ extractæ,
Olei Maſtichini,
Roſarum ana uncias quatuor,
Ceræ libram unam,
Lithargyrii aurei uncias duas,
Terebinthinæ uncias tres,
Balauſtiorum,
Roſarum,
Myrtillorum,
Acaciæ ana unciam ſemis,
Mumiæ,
Seminis Hyperici,
Colophoniæ,
Maſtiches,
Succini ana drachmas ſex,
Picis navalis,
Boli Armenæ,
Farinæ volatilis,

Thuris ana unciam unam ſemis,
Sanguinis Draconis uncias duas,

Fiat, lege artis, Emplaſtrum, decoctum ſuperius, & Mucilaginem cum Oleo Roſarum ad humiditatis aqueæ conſumtionem coquendo, dein Ceram cum Colophonia, & Pice, liquatam atque colatam, Terebinthinam & Oleum Maſtichinum, nec non reliqua in pulverem redacta permiſcendo.

Emplaſtrum hoc Catagmaticum vires habet inſignes ad fracturas oſſium ſanandas, eorum enim coalitum juvat, & accelerat, callum, quo ſimul agglutinantur, auget, calorem partis nativum fovet, & humorum fluxiones ſiſtit.

EMPLASTRUM AD CLAVOS PEDUM.

℞. Viridis Æris,
Galbani in aceto deſtillato ſoluti ana drachmam unam,
Colcothar Vitrioli,
Olei Euphorbii deſtillati ana guttas ſeptem,
Fiat malaxando Emplaſtrum.

Vires nomen indicat.

EMPLASTRUM CAPITALE.

℞. Reſinæ Pini uncias duas,
Ladani,
Myrrhæ,
Maſtiches ana drachmas ſex,
Tacamahacæ,
Galbani,
Opoponacis,
Olei deſtillati Succini,
Nuciſtæ ana unciam ſemis,
Terebinthinæ uncias duas ſemis.

Miſce, fiat, lege artis, Emplaſtrum.

Capiti potiſſimum eſt dicatum, catarrhos coercet, & dolores mitigat.

EMPLASTRUM DE CICUTA, SIVE SPLENETICUM.

℞. Succi Cicutæ ex tota planta expreſſi,
Olei Capparum ana libras duas,

Coquantur ad conſumptionem aquoſitatis, poſtea adde

Ceræ uncias octo,
& tandem adde
Pulveris Cicutæ totius,
Gummi Ammoniaci ana uncias tres.

Præſtantiſſimum eſt in tumoribus duris, & ſcirrhoſis, imprimis vero lieni dicatum eſt, eum obſtructum aperit, roborat, ejusque duritiem emollit, imponitur ſiniſtro hypochondrio in dolore, & obſtructione lienis, nec non pacreatis.

EM-

EMPLASTRUM CITRINUM VULGARE.

℞. Reſinæ libram unam,
Ceræ citrinæ libram ſemis,
Sebi Cervini uncias quatuor,
Terebinthinæ uncias duas.

Fiat Emplaſtrum, omnia invicem liquando, & colando, tingendoque cum pulvere Curcumæ quantum ſufficit.

Vulneribus recentibus medetur, ac ea cicatrice claudit, ut & in ulceribus convenit.

EMPLASTRUM DE CRUSTA PANIS.

℞. Maſtiches,
Menthæ ana drachmam unam,
Cruſtæ panis toſtæ, & maceratæ in aceto per horam mediam uncias duas,
Olei de Maſtiche,
Cydoniorum,
Terebinthinæ,
Ceræ ana unciam unam,
Farinæ Hordei quantum ſufficit.

Fiat Emplaſtrum, Oleis Ceram cum Terebinthina liquefactam, & cætera permiſcendo.

Stomachicum eſt, & hinc in ventriculo debiliori præſcribitur, atque proficuum eſt in vomitu, præſertim puerorum, ſicut quoque conducit iis, qui cibum retinere nequeunt; imponitur etiam umbilico in diarrhœa, & dyſenteria.

EMPLASTRUM DE CUMINO.

℞. Seminis Cumini,
Baccarum Lauri,
Ceræ citrinæ ana libram unam,
Reſinæ Pini libras duas,
communis libras tres,
Olei Anethi quantum ſatis,

Fiat Emplaſtrum.

Roborat, reſolvit, flatus diſcutit, conducit ad fracturas, & luxationes.

EMPLASTRUM DEFENSIVUM FELICIS WURTZII.

℞. Ceræ Citrinæ,
Reſinæ ana uncias octo,
Sevi Hircini,
Terebinthinæ ana uncias ſex,
Pulveris herbæ Alchymillæ uncias quatuor.

Miſce, fiat Emplaſtrum.

Dicitur ita, quod credatur ſymptomata irruentia, & vulnera concomitantia præcavere, partes etiam roborando. In vulneribus, & ulceribus ponitur circa locum affectum ad arcendam inflammationem, & impediendum humorum affluxum.

EMPLASTRUM DIABOTANOM BLONDELLI MEDICI PARISIENSIS.

℞. Radicum & Foliorum recentium Enulæ campanæ,
Bardanæ,
Petaſitidis,
Cicutæ,
Chamæpityos,
Leviſtici,
Valerianæ majoris,
Angelicæ,
Raphani Ruſticani,
Cucumeris agreſtis,
Scrophulariæ utriuſque,
Illecebræ,
Gratiolæ,
Chelidonii utriuſque ana unciam unam cum dimidia.

Purgata, comminuta, & diligenter contuſa, in pila lapidea, macerentur per dies quatuor in

Succorum Chelidonii majoris,
Hormini,
Cicutæ ana libris tribus,

Deinde coquantur ad conſumptionem tertiæ partis, colentur, & fortiter exprimantur.

Expreſſio vero cum
Olei Euphorbii, &
de Lumbricis,
Lithargyrii aurei præparati ana libris duabus,
Succi Illecebræ libra dimidia,

exacte coquatur, aſſidue movendo ſpatula lignea, ad Emplaſtri conſiſtentiam, in illis deinde liquefiant, & miſceantur

Ceræ flavæ,
Picis Burgundiæ ana unciæ novem,
Styracis liquidæ repurgatæ,
Terebinthinæ claræ,
Gummi Tacamahacæ ana unciæ duæ,
Ammoniaci,
Galbani,
Olibani,
Maſtiches,
Bdellii,
Opopanacis,
Sagapeni,
Olei de Lateribus,
Baccarum Lauri,
Sulphuris vivi ana uncia una cum dimidia,
Bituminis Judaici unciæ quatuor,
Foliorum Piſtacii virentium & in umbra ſiccatorum uncia una,
Camphoræ in Oleo Caryophyllorum quantum ſufficit ſolutæ uncia dimidia,
Fimi Columbini,

Ra-

Radicum Ireos Florentinæ,
Sigilli S. Mariæ, ſive Salomonis,
Cyclaminis,
Ranunculi tuberoſi,
Aſari,
Coronæ Imperialis,
Serpentariæ,
Hellebori albi,
Ariſtolochiæ longæ, rotundæ,
Clematitis,
Seminis Pœoniæ maris,
Angelicæ, vel ſi deſit, Staphydisagriæ,
Naſturtii,
Cumini ana drachmam unam cum dimidia,
Fiat Emplaſtrum ſecundum artem.

Nomen obtinet ab inſigni vegetabilium, quæ ingrediuntur, quantitate, digerit, emollit, reſolvit tumores pituitoſos, glanduloſos, ſcirrhoſosque.

EMPLASTRUM DIACHYLUM CUM GUMMI.

℞. Emplaſtri diachylon ſimplicis uncias viginti,
Gummi Galbani,
Ammoniaci, ana unciam unam,
Opopanacis,
Sagapeni ana unciam ſemis,
Terebinthinæ,
Reſinæ,
Ceræ ana unciam unam,
Radicis Ireos pulveriſatæ unciam ſemis,
Olei Hyperici quantum ſufficit,
Miſce fiat Emplaſtrum.

Magnarum in emolliendo eſt virium, concoquit, maturat, ac digerit.

EMPLASTRUM DIACHYLUM SIMPLEX.

℞. Mucilaginis Seminis Fœni græci,
Lini,
Radicis Althææ ana libram unam,
Olei libras tres,
Lithargyrii libram unam ſemis.

Coquantur omnia leni igne, continue agitando, usque ad humiditatis aquoſæ conſumtionem, vel juſtam conſiſtentiam.

Diachylon a mucilaginibus baſin compoſitionis conſtituentibus vocatur.

Emollit, atque reſolvit, & digerit, hincque in tumoribus quibuscunque maturationem quandam requirentibus utiliter applicatur, glutinat tandem, hincque in recentibus vulneribus non abs re commendatur.

EMPLASTRUM DIAPALMÆ.

℞. Decocti tenuiorum ramorum Palmæ,
vel, uti moris eſt, Quercus,
Olei communis,

Axungiæ Suillæ,
Lythargyrii aurei ana libras ſex,
Coquantur ſecundum artem in Emplaſtrum.

Polychreſtum eſt Emplaſtrum in quibusvis fere affectibus externis, vulneribus & ulceribus, ambuſtis, osſium fracturis & luxationibus. Cicatrices egregie exſiccat.

EMPLASTRVM DIAPHPORETICVM MYNSICHTI.

℞. Ceræ flavæ uncias novem,
Colophoniæ,
Bdellii ana uncias quatuor,
Succini citrini uncias tres,
Gummi Ammoniaci præparati,
Terebinthinæ puræ ana uncias duas,
Galbani præparati,
Sandaracæ ana unciam unam,
Maſtiches,
Thuris electi ana unciam ſemis.

Cera cum Colophonia liquetur & coletur, quibus ab igne depoſitis & ſemirefrigeratis Ammoniacum & Terebinthinam invicem liquefacta, poſt reliqua in pulverem contrita immiſcendo, fiat ſecundum artem Emplaſtrum.

Diſcutit, ſeroſamque humiditatem abſumit & extrahit, hinc in fluxionibus ſic dictis frigidis, iſchiadico dolore, intumeſcentia pedum, parotidibus, tumoribus pituitoſis, ubi ſuppurationi incumbere nolumus, prodeſt: ab effectu ſuo nomen obtinet.

EMPLASTRVM DIAPOMPHOLYGOS PHARMACOPOEAE HAGIENSIS.

℞. Olei Solani libras duas cum dimidia,
Ceræ uncias viginti,
Ceruſſæ,
Plumbi uſti ana libram dimidiam,
Pompholygos,
Olibani ana uncias quatuor,

Miſce, fiat lege artis Emplaſtrum.

Siccat, conſolidat, cicatricemque inducit.

EMPLASTRVM DIASVLPHVRIS RVLANDI.

℞. Balſami Sulphuris,
Ceræ Citrinæ ana uncias octo,
Colophoniæ uncias ſex,
Pulveris Myrrhæ uncias octodecim,
Terebinthinæ quantum ſatis,
Miſce fiat lege artis Emplaſtrum.

Detergit, mundificat, & omnis fere generis ulcera curat, putredini reſiſtit, & præterea inſigniter reſolvit, quam virtutem in ſtrumis præſertim diſſolvendis exſerit.

EM-

EMPLASTRUM AD DOLORES DENTIUM.

℞. Gummi Carannæ,
Maſtiches,
Elemi,
Tacamahacæ ana unciam unam,
Storacis Calamitæ unciam ſemis,
Olei Nuciſtæ expreſſi ſcrupulos octo,
Opii Thebaici unciam unam,
Terebinthinæ unciam ſemis.
Miſce Fiat lege artis Emplaſtrum.

Inſcriptio vires indicat, applicatur temporibus & pone aures.

EMPLASTRUM DIVINUM.

℞. Lithagyrii aurei præparati libram unam ſemis,
Olei communis libras tres,
Aquæ fontanæ libras duas,
Coque ſimul ad Emplaſtri ſpiſſitudinem, deinde permiſce
Lapidis Magnetis præparati libram ſemis,
Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis,
Bdellii ana uncias tres,
Myrrhæ,
Olibani,
Maſtiches,
Viridis æris,
Ariſtolochiæ rotundæ ana unciam unam ſemis,
Ceræ flavæ uncias octo,
Terebinthinæ uncias quatuor.
Fiat ex arte Emplaſtrum.

Nomen a virtutibus obtinet. Detergit, mundificat, emollit, reſolvit, & ſimul roborat, atque ad cicatricem perducit. Adhibetur fere in omnibus vulneribus & ulceribus, tumoribus atque contuſionibus.

EMPLASTRUM DE GALBANO CROCATUM MYNSICHTI.

℞. Gummi Galbani in aceto diſſoluti uncias ſex,
Emplaſtri de Meliloto,
Diachylon ſimplicis ana uncias tres,
Ceræ uncias duas,
Terebinthinæ unciam unam,
Croci orientalis drachmas ſex.
Miſce, fiat ſecundum artem juſtæ conſiſtentiæ Emplaſtrum.

Commendatur ad emolliendos & reſolvendos tumores duros & ſcirrhoſos, nec non ad ſedandos, & mitigandos vehementes, & lethales partium dolores, ſive a crudis humoribus, vel a flatu craſſo, vel ab alia cauſa, uti loquuntur, frigida, ortos. Strumas quoque emollit, lenit, atque diſcutit. Præterea in convulſione, & ſingultu laudatur, nec deſtituitur virtute antihy-

hyſterica, in tumoribus mammarum mulierum multum præſtat calide applicitum, imprimis ſi ſimul ſacculus arena repletus calide applicetur.

EMPLASTRVM GRYSEVM, SIVE DE LAPIDE CALAMINARI.

℞. Lapidis Calaminaris præparati unciam unam,
Lithargyrii uncias duas,
Terebinthinæ unciam unam ſemis,
Ceræ uncias tres,
Sevi Cervini uncias quatuor,
Thuris electi,
Maſtiches ana unciam ſemis,
Myrrhæ drachmas duas,
Camphoræ drachmam unam ſemis.

Confice ſecundum artem, Sevo, Terebinthina & Cera liquatis, poſt aliqualem refrigerationem, reliquorum pulverem immiſcendo, Emplaſtrum.

Vlcera explet, ſiccat & cicatrice claudit.

EMPLASTRVM SIVE CERATVM AD RVPTVRAS SIVE HERNIAS ZWELFFERI.

℞. Terebinthinæ claræ uncias ſex, in qua liquefacito
Pulveris Maſtiches electæ unciam unam,
Ceræ flavæ odoratæ uncias quatuor,
quibus liquatis adde,
Succi Acaciæ,
Hypociſtidis ana in decocto forti glandium Laricis, ſeu Abietis in pultis formam ſoluti, unciam unam,
Pulveris Myrrhæ,
Olibani,
Radicis Symphyti majoris ana unciam unam,
Sanguinis Draconis,
Aluminis crudi, parumper cum ſuperiori decocto humectati, ana drachmas ſex,
Nucum Cupreſſi,
Lapidis Hæmatitis,
Seminis Perfoliatæ,
Vitrioli parum calcinati ana unciam ſemis.

Miſceantur exacte, fiat Ceratum.

Præſens remedium ad varias Herniæ ſpecies parti affectæ, inteſtinis vel omento, prius in locum ſuum repoſitis, pubi ac ſcroto tonſis, appoſitum conducit.

EMPLASTRVM DE HYOSCYAMO LVDOVICI.

℞. Olei ſeminis Hyoſcyami expreſſi,
Succi Hyoſcyami ana quantum lubet,
Coque ad conſumptionem ſucci, tunc adde,

Co-

Ceræ & Terebinthinæ quantum ſufficit,
Fiat ſecundum artem Emplaſtrum.

Inſigniter reſolvit, & ſimul dolores quoque mitigat: ab Authore omnibus reſolventibus & ſpleneticis, imo ipſi Emplaſtro de Cicuta præfertur.

EMPLASTRVM INCOGNITVM SIVE SANTALINVM.

℞. Ceræ novæ uncias quatuor,
Reſinæ uncias quinque ſemis,
Santali rubri unciam unam ſemis,
Croci drachmas duas,
Olibani,
Maſtiches,
Myrrhæ,
Aluminis ana drachmam unam ſemis.

Fiat ſecundum artem Emplaſtrum. Ceræ cum Reſina liquefactæ & colatæ, iterumque ſemirefrigeratæ Santalum & Crocum cum Vini ſpiritu irrorata, nec non reliqua in pulverem redacta immiſcendo.

Hepar roborare, obſtructiones ejus reſerare, nec non indurationes ejus emollire, infarctosque humores peccantes reſolvere, & ſanguinem mundificare quidem dicitur, an autem tantos effectus edat, experientia dubium reddit.

EMPLASTRVM ISCHIADICVM BEZÆ.

℞. Gummi Ammoniaci unciam ſemis,
Galbani unciam unam ſemis,
Maſtiches unciam unam,
Tacamahacæ drachmas ſex,
Carannæ unciam ſemis,
Reſinæ Pini libram unam.
Miſce fiat Emplaſtrum.

Hoc Emplaſtrum absque oleo uſurpandum commendatur ad dolores iſchiadicos placandos, & auferendos; ſicut quoque in affectibus aliis rheumaticis laudatur.

EMPLASTRVM MATRICALE NORIMBERGENSE.

℞. Galbani in aceto ſoluti unciam unam ſemis,
Terebinthinæ claræ uncias duas, in qua
Pulveris Tacamahacæ drachmæ quinque
Aſæ fœtidæ uncia ſemis,
Gumi Animæ drachmæ tres,
Diſſolutæ & liquatæ ſunt, & ſucceſſive etiam de pulvere ſequente adjiciatur portiuncula.
℞. Pulveris Myrrhæ unciam ſemis,
Matricariæ,
Artemiſiæ,

Seminis Dauci ana drachmam unam ſemis,
Bdellii in aceto ſoluti drachmam unam.
Miſce fiat Emplaſtrum.

Prodeſt in uteri affectibus, calefacit, flatus disſipat, doloresque placat, præſertim ſic dictos frigidos: in ſuffocatione & ſtrangulatione Uteri umbilico imponitur.

EMPLASTRUM DE MELILOTO MESVÆ.

℞. Meliloti uncias ſex,
Florum Chamæmeli,
Fœni Græci,
Baccarum Lauri,
Radicis Althææ,
Abſinthii ana drachmas tres,
Seminis Apii,
Cardamomi,
Ireos,
Spicæ Nardi Indicæ,
Caſſiæ ligneæ,
Ammeos ana drachmam unam ſemis,
Majoranæ drachmas tres,
Ammoniaci præparati drachmas decem,
Styracis Calamitæ,
Bdellii ana drachmas quinque,
Terebinthinæ unciam unam ſemis,
Ficuum pinguium numero duodecim,
Sevi Hircini,
Reſinæ ana uncias duas ſemis,
Ceræ uncias ſex,
Olei Sampſuchini,
Nardini ana uncias tres.

Cera cum Reſina liquata & colata miſceatur Sevo & Oleis, poſtea ab igne depoſitis & ſemirefrigeratis pulveres, ac tandem Styrax & Ammoniacum in Terebinthina liquata, ut & Ficus in pulpam craſſam redactæ addantur. Fiat Emplaſtrum.

Malacticum ſive Emolliens celebre eſt emplaſtrum, commendatur ad durities jecoris, lienis, ventriculi, viſcerum, & reliquarum partium, etiam inveteratas emolliendas, hypochondriorum tenſionem laxandam, flatus reſolvendos, bubones diſcutiendos, ac dolores a frigido ſedandos. In intumeſcentia genarum cum dolore dentium conjuncta ad hoc emplaſtrum confugiunt plurimi, cum tamen ſæpius plus prodeſſet, ſi Theriacam cum Spiritu Vini Camphorato applicarent.

EMPLASTRUM E MINIO.

℞. Minii cribrati,
Olei roſacei ana uncias viginti,

Coquantur addita aceti deſtillati quantitate ſufficiente ad Emplaſtri conſiſtentiam, lento igne, ne nigreſcat, ſpatula lignea continuo agitando, cui adde iterum
Minii cribrati ſubtiliſſimi uncias quatuor vel quinque,

Re-

Reſinæ uncias quatuor,
Terebinthinæ uncias duas, fiat Emplaſtrum.

Vulnera, & ulcera etiam antiqua atque maligna curat, deſiccat, & ad cicatricem perducit.

EMPLASTRVM E MVCILAGINIBVS.

℞. Olei Mucaginum libram ſemis,
Ceræ flavæ uncias viginti,
Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Opoponacis,
Sagapeni in aceto ſolutorum ana unciam ſemis,
Terebinthinæ uncias duas,
Croci Anglici drachmas duas.

Fiat ſecundum artem Emplaſtrum.

Emollit inſigniter, digerit, maturat, atque ſuppurat.

EMPLASTRVM NERVINVM ZWELFFERI.

℞. Terebinthinæ claræ uncias ſex, in qua liquefacito
Gummi Carannæ puriſſimi unciam vnam,
Pulveris Gumi Ammoniaci,
Elemi,
Tacamahacæ,
Animæ ana unciam unam ſemis.

Quibus exacte unitis adde ſequentia, inter ſe invicem leni calore liquata.

Ceræ flavæ novæ & odoratæ uncias ſex,
Saponis Veneti uncias quatuor,
Colophoniæ claræ uncias tres,

Ultimo denique ſequentes pulveres, & olea inſpergantur, utpote

Pulveris Olibani,
Maſtichis,
Sandaracæ,
Succini ana uncia una ſemis,
Uſneæ fruticis Acaciæ uncia una,
Croci optimi drachmæ ſex, dilutæ ad pultis formam cum ſucco Chelidoniæ,
Camphoræ uncia ſemis ſoluta in olei Saponis Veneti cum ſilicibus deſtillati drachmis ſex vel uncia una,
Salis Tartari uncia una ſemis.

Miſceantur exacte omnia, & erit *Emplaſtrum excellens Nervinum atque Arthriticum. Roborat artus, extrahit & allicit humores acres, disſipat acidum fermentum, adeoque in podagricis affectibus efficax.*

EMPLASTRVM NIGRVM BEZÆ.

℞. Pulveris Lapidis Pyritæ ſplendentis uncias tres,

Lithargyrii uncias ſex,
Olei Olivarum veteris uncias novem,
Coque ad diſſolutionem, & conſiſtentiam, adde
Pulveris Gumi Galbani,
Ammoniaci,
Bdellii,
Opopanacis,
Serapini ana drachmas ſex,
Styracis liquidæ,
Picis navalis,
Succi Cucumeris aſinini,
Nicotianæ inſpiſſati ana unciam dimidiam,
Terebinthinæ quantum ſatis,
Pulveris Maſtiches,
Olibani,
Radicis Ireos,
Mandragoræ,
Cucumeris aſinini,
Liliorum alborum ana unciam dimidiam,
Olei Ligni Sancti,
Tartari fœtidi ana drachmas duas,
Miſce fiat lege artis Emplaſtrum.

De hoc Emplaſtro Author ita loquitur. Emplaſtrum noſtrum nigrum ex Pyrite, Oleo Tartari fœtido, Oleo Ligni Sancti &c. præſtantiſſimum eſt: reſolvit enim ſcirrhoſos duriſſimosque tumores, in quacunque corporis parte, brevi temporis ſpatio.

EMPLASTRVM NORIMBERGENSE.

℞. Olei Olivarum libras duas,
Minii ſubtiliſſime pulverſati uncias ſex,
Saponis Veneti,
Camphoræ ana unciam unam,
Cum ſufficiente quantitate Ceræ fiat Emplaſtrum.

Reſolvit, exſiccat, & ad cicatricem perducit, roborat quoque nervos.

EMPLASTRVM OPODELDOCH.

℞. Olei communis libram unam ſemis,
Lithargyrii uncias novem,
Lapidis Calaminaris præparati uncias duas,
Coquantur ad Emplaſtri duritiem,
hinc adde
Ceræ flavæ libram unam,
Olei Laurini uncias quatuor,
Gumi Galbani,
Opoponacis ana uncias tres,
Myrrhæ,
Thuris,
Maſtiches ana uncias duas,
Ammoniaci,
Bdellii ana unciam unam,

Ra-

Radicis Ariſtolochiæ rotundæ,
Croci Martis adſtringentis,
Mumiæ,
Magnetis præparati,
Corallorum rubrorum & alborum,
Terebinthinæ ana unciam ſemis,
Olei Succini craſſioris,
Camphoræ ana drachmam unam,
Croci Orientalis drachmam ſemis.

Fiat ſecundum artem Emplaſtrum.

Emplaſtrum hoc magnæ efficaciæ eſſe dicitur, ad vulnera recentia ſananda, ſpicula, tela, cuſpides, dummodo oſſibus fixi non hæreant: itemque pilos, aut quæ vulneri inciderint, extrahit, ut volunt: ſymptomata vulneribus infenſa, ac periculoſa, ſi cito applicetur, præcavet, tumores affluxusque humorum reprimit. In caruncula quoque, inprimis a gonorrhœa virulenta relicta, ſub forma ſparadrappi, inſtar candelæ immiſſum egregie prodeſt.

EMPLASTRVM OXYCROCEVM.

℞. Ceræ,
Picis,
Colophoniæ ana libram unam,
Terebinthinæ uncias quatuor,
Galbani depurati,
Ammoniaci depurati,
Croci,
Myrrhæ,
Olibani,
Maſtiches ana uncias tres.

Cera, Pix, & Colophonia invicem liquentur, quibus dein ab igne depoſitis, & ſemirefrigeratis Galbanum & Ammoniacum in Terebinthina ſoluta, poſt reliqua in pulverem tenuiſſimum redacta, jungantur, fiat ſecundum artem Emplaſtrum.

Ad contuſa, oſſium fracturas, nervorum dolores, & abſceſſuum inveteratorum duritiem emolliendam idoneum, Emplaſticum quoque & gignendo callo habile; in compeſcendis doloribus, contuſionibus & contorſionibus Chirurgorum eſt aſylum, præſtaret tamen, hoc in caſu ſæpius hoc omittere, & ſpirituoſis uti.

EMPLASTRVM E PLVMBO SIVE SATVRNINVM MYNSICHTI CORRECTVM.

℞. Plumbi uſti uncias duas,
Ceruſſæ lotæ unciam ſemis,
Sevi Hircini,
Ceræ ana unciam unam ſemis,
Terebinthinæ drachmas ſex,
Lapidis calaminaris,
Pompholygos,
Tutiæ præparatæ ana drachmas duas,
Myrrhæ,
Maſtiches,
Olibani ana drachmam unam,
Aloes hepaticæ,
Camphoræ ana drachmam ſemis.

Ceræ cum Sevo Hircino & Terebinthina liquatæ, poſtquam ab igne remota fuerint, reliqua in pulverem redacta ſecundum artem permiſceantur.

Valet contra omnis generis ambuſta, inflammationes, tumores, vulnera & ulcera maligna fœtida & corrodentia, ut & tumores cancrum imitantes.

EMPLASTRVM DE RANIS VIGONIS CVM ET SINE MERCVRIO.

℞. Ranarum vivarum numero ſexaginta,
Lumbricorum uncias quinque,
Schœnanthi,
Stœchadis Arabicæ,
Matricariæ,
Radicis Enulæ,
Ebuli anæ uncias tres,
Vini libras tres,
Coque ad dimidium, colaturæ adde
Olei Chamomillæ,
Anethi,
Liliorum alborum ana uncias octo decim,
Bulliant ad conſumptionem humiditatis, & poſtea colaturam cum Lithargyrii libris ſex coque, ad conſiſtentiam debitam, adde
Pinguedinis Vitulinæ libras tres ponderis civilis,
Ceræ Citrinæ libras duas cum unciis quatuor ponderis civilis,
Euphorbii pulveriſati uncias tres & drachmas ſex,
Olibani unciam unam,
Terebinthinæ uncias duodecim,
Storacis liquidæ uncias novem,
Axungiæ Serpentum uncias quindecim,
Olei Spicæ uncias duodecim,
Croci drachmas duas,
Fiat lege artis Emplaſtrum.

Si cum Mercurio deſideratur, unciæ Emplaſtri additur drachma circiter argenti vivi, cujus doſis ad duplum, triplum, aut quadruplum extendi poteſt.

Emplaſtrum ſimplex absque Mercurio conducit ad dolores, ex frigida, uti loquuntur cauſa ortos, reſolvit & emollit tumores ſic dictos frigidos. Prodeſt, imprimis quod argentum vivum continet, in nodis & tophis, ut & doloribus a Lue Venerea productis. Sunt qui hoc Emplaſtro ad Salivationem excitandam partes corporis involvunt, utut non ſemper bene.

EMPLASTRVM RESOLVENS.

℞. Gummi Ammoniaci,
Bdellii ana unciam unam
Opopanacis,
Galbani,
Maſtiches,
Olibani ana unciam dimidiam,
Radicis Ariſtolochiæ rotundæ,
longæ,
Di-

Dictamni albi ana unciam dimidiam,
Olei Hyperici,
Laurini ana libram ſemis,
Ceræ Citrinæ uncias ſex,
Terebinthinæ uncias duas,
Lithargyrii uncias novem,
Miſce, fiat lege artis Emplaſtrum.

Reſolvit & diſcutit, commendatur in tumoribus, infarctibus viſcerum, etiam jam ad ſcirrhum inclinantibus: laudatur in humoribus viſcidis reſolvendis.

EMPLASTRVM RVBRVM ANTIMONIATVM.

℞. Emplaſtri Diapalmæ uncias quatuor,
Boli Armenæ,
Cretæ anæ unciam ſemis,
Antimonii diaphoretici drachmas duas,
Olei Laurini unciam ſemis,
Tartari per deliquium drachmam unam,
Miſce fiat Emplaſtrum.

Ubi exſiccandum & roborandum, atque abſtergendum conducere poteſt.

EMPLASTRVM AD RVPTVRAS.

Idem eſt ac Emplaſtrum ad Hernias.

EMPLASTRVM SANTALINVM.

Idem eſt ac Incognitum.

EMPLASTRVM SAPONATVM BARBETTE
ſeu
EMPLASTRVM COMITIS DIGBY SATVRNINVM.

℞. Minii,
Ceruſſæ,
Saponis Veneti ana uncias decem,
Olei Olivarum libras duas,
Axungiæ Porcinæ unciam unam,
Coque ex arte in formam Emplaſtri.

Poros partium modeſte obſtipando materiam inſpiſſatam emollit, & præcipue, quando camphora imbuitur, diſcutit, conducit ad dolores arthriticos, ex lympha tenuiore, item ad podagram ſedandam: tumores reſolvit, uterum roborat, umbilico impoſitum, & menſes ciet; ambuſtis quoque, & pernionibus medetur.

EMPLASTRVM STICTICVM
ſeu
STYPTICVM CROLLII,

℞. Minii,
Calaminaris ana libram ſemis,
Lithargyrii uncias ſex,
Olei Lini,
Olivarum ana libram unam ſemis,
Ceræ,
Colophoniæ ana libram unam,
Vernicis,
Terebinthinæ ana libram ſemis,
Opoponacis præparati,
Galbani præparati,
Sagapeni præparati,
Ammoniaci præparati,
Bdellii ana uncias tres,
Succini Citrini,
Olibani,
Myrrhæ Alexandrinæ,
Aloes hepaticæ,

Ariſtolochiæ longæ,
rotundæ ana unciam unam,
Mumiæ,
Magnetis,
Hæmatitæ ana unciam unam ſemis,
Coralliorum alborum,
rubrorum,
Matris perlarum,
Sanguinis Draconis,
Terræ Sigillatæ Strigenſis,
Vitrioli albi ana unciam unam,
Florum Antimonii,
Croci Martis ana drachmas duas,
Camphoræ unciam unam.

Modus parandi talis eſto:

Oleum Lini & Olivarum cum Lithargyrio aliquandiu coquantur, hinc addatur Calaminaris, & paulo poſt Minium, quæ omnia agitando coquantur conſiſtentiam; tandem etiam addatur circa finem Vernix, Oleum Laurinum, Cera, Colophonia, invicem liquefacta & colata; ab igne depoſitis & ſemirefrigeratis immiſceantur Opoponax, Galbanum, Sagapenum & Ammoniacum cum Terebinthina ſoluta, ut & Camphora, ac reliqua in ſubtilem pulverem redacta.

Vires hujus Emplaſtri percelebres ſunt, Vulnera ſiquidem recentia, & ictus celeriter conſolidat, ſymptomata & fluxiones ſupervenire ſolitas præcavet, ferrum, lignum, plumbum, aliaque profundius membris infixa, ſine dolore extrahit, antiqua etiam ulcera ſiccat & mundificat, convenit in abſumendo lacte, & inflammationibus mammarum, commendatur in Catharrhis a Lympha acri & tenuiori ortis, & arthritidi quoque medetur.

EMPLASTRVM SPLENETICVM.

Idem eſt ac Emplaſtrum de Cicuta.

EMPLASTRVM DE SPERMATE CETI MYNSICHTI.

℞. Ceræ albæ uncias quatuor,
Spermatis Ceti uncias duas,
Gummi Galbani unciam unam.

Ceræ liquatæ commiſceatur SpermaCeti, & tandem Gummi Galbanum tritum. Fiat Emplaſtrum.

Sanguinem & lac imprimis grumoſum atque coagulatum reſolvere creditur. Hinc mammis puerperarum impoſitum, omnibus ex lacte doloribus & tumoribus etiam duris, imo ſcrophulis & ſtrumis mederi ab Authore dicitur. Interim tamen non ſemper expectationi reſpondet effectus.

EMPLASTRVM DE SPERMATE RANARVM.

℞. Spermatis Ranarum depurati,
Olei Olivarum ana libras tres,
Ceruſſæ Venetæ libras quatuor ſemis,
Ceræ albæ libram unam,
Aluminis crudi uncias quatuor,
Camphoræ unciam unam.

Oleum

Oleum cum Spermate Ranarum usque ad humiditatis aquoſæ conſumtionem coquatur, poſtea Cera, ut & reliqua pulveriſata ex arte immiſceantur.

In inflammationibus & doloribus coercendis, nec non ad ulcera contumacia ſordida, & antiqua curanda utiliter adhibetur. Conducit quoque in gangræna & artuum doloribus. Humorum acrimoniam demulcet & exſiccat.

EMPLASTRVM STOMACHICVM ZWELFFERI.

℞. Gumi Tacamahacæ unciam unam
Animæ,
Benzoes ana unciam ſemis,
Maſtiches uncias duas,
Terebinthinæ claræ uncias tres,
Reſinæ Styracis expreſſæ unciam unam.

His invicem, vel ſimul diſſolutis, leniſſimo calore, &, ſi opus eſt, per linum & qualum colatis, ſuperadde

Olei Nucum Moſchatarum expreſſi,
Pulveris Olibani,
Myrrhæ,
Nucis Moſchatæ,
Baccarum Lauri ana unciam unam,
Caryophyllorum drachmas ſex,

Quibus ultimo, quaſi refrigerato Emplaſtro, adde

Balſami Indici Peruviani unciam ſemis, vel drachmas ſex.

Fiat Emplaſtrum.

Facit quam maxime ad confortandum ſtomachum: in vomitu diarrhœa, lienteria &c. prodeſt.

EMPLASTRVM STRVMALE BEZÆ.

℞. Galbani aceto ſoluti uncias duas,
Picis navalis unciam ſemis,
Radicis Scrophulariæ drachmas quinque,
Florum Salis Armoniaci drachmam unam ſemis,
Pulveris ſtrumalis drachmas duas,
Emplaſtri diachyli gummoſi unciam unam,
Miſce fiat Emplaſtrum.

Cujus vires nomen indicat.

EMPLASTRVM TRIAPHARMACON.

℞. Lithargyrii,
Aceti fortis,
Olei communis ana uncias tres.

Lithargyrus leviſſime tritus moveatur continuo ad ignem, paulatim adfuſis Oleo & Aceto; vel etiam omnia ſimul permixta lege artis coquantur.

A tribus ingredientibus nomen habet, dicitur & Emplaſtrum de Lythargyrio nutrito Meſuæ, ſiccat potentiſſime ulcera difficilia, & fiſtulas, quæ nondum callum contra-

traxerunt, curat, detergit prætera, ſanguinem ſiſtit, & vulnera glutinat.

EMPLASTRVM VESICATORIVM.

℞. Cantharidum uncias ſex,
Olibani,
Myrrhæ,
Maſtiches,
Camphoræ ana drachmas ſex,
Ceræ Citrinæ uncias novem,
Terebinthinæ,
Olei Roſarum ana uncias tres,
Miſce fiat Emplaſtrum.

Veſicas excitat ubicunque imponitur.

EMPLASTRVM VIRIDE.

℞. Ceræ,
Reſinæ,
Terebinthinæ ana uncias quatuor,
Olibani,
Maſtiches,
Viridis æris ana uncias tres.
Miſce fiat Emplaſtrum.

Detergit & conſolidat vulnera, & ad clavos pedum conducit.

CLASSIS OCTAVA
QVÆ
ESSENTIARVM
PRÆPARATIONEM DOCET.

ESSENTIA ABSINTHII SIMPLEX.

℞. Summitatum Abſinthii floridarum uncias duas,
ſuperfundatur Spiritus Vini, ut tres digitos emineat,
poſt decantationem & expreſſionem Eſſentia filtretur.

Stomacho medetur, appetitum excitat, concoctionemque promovet, atque hepati prodeſt, aliasque virtutes quas ipſum Abſinthium habet poſſidet. Datur ad triginta, quadraginta guttas &c. vel per ſe, vel etiam cum aliis miſcetur.

ESSENTIA ABSINTHII COMPOSITA.

℞. Summitatum Abſinthii floridi manipulos ſex,
Centaurii minoris,
Herbæ Cardui benedicti ana manipulum unum,
Calami Aromatici,
Zedoariæ ana unciam unam,
Corticum Aurantiorum,
Citri ana drachmas duas,
Cinamomi unciam ſemis,

Ca-

Caryophyllorum drachmam unam,
Spiritus Vini libras tres.

Infunde per tempus, digere, exprime, & filtra.

Iisdem, ſed majoribus, ac prior, gaudet virtutibus, datur eadem doſi.

ESSENTIA ABSINTHII COMPOSITA ZWELFFERI.

℞. Spiritus Abſinthii ardentis per fermentationem parati libram unam,
Olei Abſinthii deſtillati drachmam unam, vel plus, quantum ſcilicet ſpiritus proprius diſſolvere poteſt,
Extracti Abſinthii ſpiſſi per Spiritum Vini parati drachmas duas, vel unciam ſemis,
Salis Abſinthii in aqua propria ſoluti drachmas duas, vel unciam ſemis.

Mixta digerantur per tempus ut probe uniantur, poſtea Eſſentia filtretur, & ſervetur.

Hanc Eſſentiam tanquam integras ſui vegetabilis vires referentem aliis longe præfert Author. Datur eadem doſi, ſed acrior eſt, & magis nauſeoſa, unde macilentis non usque adeo conveniens.

ESSENTIA ALEXIPHARMACA STAHLII JUXTA JUNCKERUM.

℞. Radicum Imperatoriæ,
Carlinæ,
Angelicæ,
Pimpinellæ albæ ana unciam ſemis,
Vincetoxici,
Helenii,
Dictamni albi,
Contrayervæ,
Valerianæ ana unciam unam.

Cum Spiritu Vini Rectificatiſſimo extrahatur Eſſentia.

Hæc Eſſentia tranſpirationem naturalem & lenem diureſin promovet, unde & in ipſis Febribus continuis ardentibus, atque malignis (id quod tamen noſtris in oris vix eſt conceſſum) commendatur. Laudatur in malo hypochondriaco, hyſterico, quartana &c. Datur ad guttas viginti, triginta, & ultra, pro ratione circumſtantiarum.

ESSENTIA AMBRÆ MINDERERI.

℞. Elixyr Vitæ Matthioli completi uncias duas,
Spiritus Ceraſorum nigrorum rectificati unciam unam,
Ambræ ſcrupulum unum,
Moſchi Orientalis grana quatuor.

Fiat infuſio per aliquot dies, deinde filtretur.

Medicamentum eſt cordiale, & cephalicum, commendatur in vertigine, apoplexia, memoria confortanda, tum præſervative, tum curative. Datur ad guttas aliquot, ad viginti usque, & ultra.

ESSENTIA AMBRÆ SICCA COMPLETA.

℞. Ambræ gryſeæ drachmam unam,

Moſchi in Spiritu Roſarum ſoluti ſcrupulum ſemis,
Olei Cinamomi deſtillati guttas quinque,
Sacchari albiſſimi uncias duas,
Miſce.

Iisdem gaudet viribus ſuavisque admodum eſt, uſurpatur vel per ſe ad ſcrupulum dimidium & paulo ultra, vel miſcetur cum Tragæis; ſcrupulus continet granum unum Ambræ cum ſeptena parte grani, Moſchi vero quinque ſeptenas partes grani, dicata eſt iis qui a Moſcho non abhorrent, adeoque ſexui præſertim Maſculino.

ESSENTIA AMBRÆ SICCA INCOMPLETA.

℞. Ambræ gryſeæ drachmam unam,
Olei Citri ex Corticibus recentibus expreſſi ſcrupulum ſemis,
Sacchari albiſſimi uncias duas.
Miſce.

Hujus virtutes eædem ac prioris, datur quoque eodem modo, & deſtinata iis quibus & Moſchus & Cinamomum eſt adverſum, ſexui hinc magis fœminino prodeſt. Scrupulus continet granum unum Ambræ cum ſeptena parte grani circiter.

ESSENTIA ANODYNA
ſeu
LAUDANUM LIQUIDUM SYDENHAMII.

℞. Vini Hiſpanici libram unam,
Opii depurati uncias duas,
Croci unciam ſemis,
Cinamomi,
Caryophyllorum ana drachmam unam.

Infundantur ſimul, digeranturque per tres vel quatuor dies, donec liquor debitam acquiſiverit conſiſtentiam. Colatura ſervetur pro uſu.

Iisdem uſibus ac Laudanum Opiatum inſervit, in mitigandis acutiſſimis totius corporis doloribus vigiliisque nimiis coercendis, ac fluxibus ſiſtendis. Doſis eſt ad guttas aliquot ad decem ad viginti, & paulo ultra, in quovis liquore.

ESSENTIA AURANTIORUM CORTICUM EX CORTICIBUS RECENTIBUS.

℞. Corticum Aurantiorum exteriorum recentium uncias ſex,
Spiritus Vini libram unam.

abſtrahatur in Balneo a Corticibus Spiritus Vini; in quo dein novi cortices Aurantiorum recentes exteriores infundantur, ſumendo eorum uncias quatuor: poſt octiduanam digeſtionem liquor tinctus filtretur, & poterit edulcorari vel Saccharo vel Syrupo e Corticibus Aurantiorum.

Stomachica atque Carminativa ut & Cordialis & Cephalica eſt, datur ad guttas viginti, triginta.

Eodem modo, paratur.

ESSEN-

ESSENTIA CORTICVM AVRANTIORVM EX CORTICIBVS SICCIS.

ita ut ad Spiritus libram unam ſumantur corticum unciæ quatuor, prior tamen gratior, & efficacior.

ESSENTIA CORTICVM AVRANTIORVM SICCA SEV ESSENTIA AVRANTIORVM SACCHARINA.

Nihil aliud eſt quam Saccharum Oleo Aurantiorum volatili imprægnatum.

Iisdem gaudet viribus ac liquida, poteſt vel per ſe uſurpari cuſpidatim, vel tragæis commiſceri: poteſt quoque jucundisſime ex hac Eſſentia parari Vinum citratum, ſi enim drachma ſemis vel una vitro Vini injiciatur, gratisſima fragrantia Vinum imprægnatur.

ESSENTIA CARDVI BENEDICTI.

Fit ut Eſſentia Abſinthii ſimplex.

Qua cum etiam in virtutibus quam maxime reſpondet, cujus etiam in doſi uſurpatur.

ESSENTIA CARMINATIVA WEDELII.

℞. Radicum Zedoariæ unciam unam,
Carlinæ,
Galangæ ana unciam ſemis,
Corticum Aurantiorum,
Seminis Aniſi,
Carvi,
Florum Chamæmeli Romani,
Caryophyllorum aromaticorum,
Baccarum Lauri,
Acori veri ana drachmam unam ſemis,
Macis drachmam unam.

Miſce. Extrahantur contuſa & conciſa groſſo modo cum Spiritu Corticum Citri acidulato ſatis Spiritu Nitri, qui extractione per aliquod tempus facta addi debet.

Non tantum ad flatus pellendos, ſed & dolores colicos, cardialgiam, ſuffocationes hypochondriacas & hyſtericas commendatur, inſuper quoque ventriculum roborat, & coctionem juvat. Doſis ad guttas viginti, quadraginta, & ultra. Non incommode in noſtris regionibus cum Spiritu Nitri dulci adhuc jungitur.

ESSENTIA CASTOREI.

℞. Caſtorei uncias tres,
Salis Tartari drachmas tres,

Caſtoreum minutim inciſum, & cum Sale Tartari permixtum, Spiritus Vini libra una per octiduum digerendo, extrahatur, ac poſtea filtretur.

Commendatur in affectibus nervinis, Capitisque morbis, Lethargo, Paralyſi, Apoplexia, Epilepſia, affectibus itidem flatulentis, & in paſſionibus hyſtericis. Datur ad guttas viginti, quadraginta, & ultra. Externe quoque in difficili auditu, tinnitu aurium, loquela amiſſa & membris paralyticis commendatur.

ESSENTIA CATECHV.

℞. Catechu ſive Terræ Japonicæ contritæ drachmas duas,

Solvantur leni calore in Spiritus Vini uncia una, & poſtea filtrentur.

Ob vim adſtringentem in fluxibus alvinis & hæmorrhagiis compeſcendis, ad Ventriculum roborandum & ad catarrhos laudatur Doſis ad guttas decem, viginti & ultra.

ESSENTIA CORTICUM CHINÆ CHINÆ.

℞. Corticum Chinæ Chinæ pulveriſatorum unciam unam,
Salis Tartari drachmam unam,
Spiritus Vini rectificati uncias octo.

Stent in digeſtione debito tempore, poſtea Tinctura bene ſaturata expreſſa filtretur.

Febribus intermittentibus profligandis dicata Eſſentia adhibetur ad guttas viginti, triginta, & ultra, aliquoties de die. Optime autem ſe habet ejus uſus poſt profligatas Febres, ad recidivam præcavendam.

ESSENTIA CHACARILLÆ.

Eodem modo fit ac Eſſentia Corticum Chinæ Chinæ.

Ad eosdem quoque uſus eſt dicata, & eadem doſi uſurpatur.

ESSENTIA CROCI.

℞. Croci Auſtriaci unciam unam,
Spiritus Vini rectificati libram unam.

Digere per tempus ad ſaturatam Tincturam extrahendam, tunc effunde, & ſerva.

Vires obtinet cordiales, pectorales, hyſtericas & anodynas. Exhibetur ad guttam unam, ad decem, & ultra, in vehiculis appropriatis.

ESSENTIA ENULÆ SIVE HELENII EX RADICE.

℞. Radicis Enulæ recentis, præſertim in fruſta conciſæ quantitatem ſufficientem, affunde Spiritum Vini rectificatum ad eminentiam quatuor digitorum & ultra, digere per aliquot dies, poſtea exprime & filtra.

Stomachica eſt atque Carminativa, adhibetur etiam in tuſſi & aſthmate, & doloribus nephriticis. Datur ad guttas viginti, triginta, quadraginta & ultra.

ESSENTIA LIGNORUM.

℞. Ligni Saſſafras uncias duas,
Sancti uncias tres,
Radicum Chinæ,
Sarſæparillæ,
Sandali rubri,
Citrini ana unciam unam.

Inciſa cum Spiritu Vini ad quatuor digitorum ſupereminentiam adfuſo poſt octiduanam digeſtionem extrahantur & filtrentur.

In maſſa ſanguinea depuranda, ſudore movendo laudatur, hinc in mor-

morbis Venereis, ſcabie, affectibus catarrhalibus egregie conducit. Datur ad ſcrupulum unum, drachmam unam, & ultra.

ESSENTIA LIGNORUM CONCENTRATA.

Fit a priori Eſſentia dimidiam partem Spiritus Vini de novo abſtrahendo.

Sic enim longe acrior, ſed & penetrantior, absque tamen augmento motus & caloris ſanguinis, evadit, & in prædictis morbis majori quoque cum ſucceſſu, ad guttas triginta, quadraginta, ſexaginta & ultra, adhibetur.

ESSENTIA MACIS.

℞. Macis uncias quatuor,
Liquoris Nitri fixi uncias duas,
Spiritus Vini rectificatiſſimi libras duas.
Digere per tempus & Eſſentiam ſaturatam filtra.

Vires obtinet ſtomachicas, carminativas, & anticolicas, conducit in cruditatibus acidis & viſcidis: anorexiæ & dyſpepſiæ medetur. Datur ad guttas viginti, quadraginta, & ultra.

ESSENTIA MILLEFOLII.

℞. Herbam Millefolii cum floribus, affunde Spiritus Vini rectificati quantitatem ſufficientem, digere & extrahe.

Commendatur in fluxu menſium nimio, hæmorrhagia uteri, in vomitu nephriticorum & cruento, in fluxu hæmorrhoidum nimio & fluxu albo. Datur ad guttas viginti, triginta, & ultra.

ESSENTIA MYRRHÆ.

℞. Myrrhæ electæ uncias quatuor,
Liquoris Nitri fixi uncias duas.
Terantur in pultem, & ſtent in digeſtione donec ſiccentur, tunc affunde
Spiritus Vini libras duas,
Extrahe lege artis Tincturam ſaturatam.

Uſurpatur interne & externe, calefacit atque roborat, diſcutit atque aperit, ſudorifera eſt, atque alexipharmaca, & anthelmintica, atque ſtomachica. Externe convenit in gangræna, ſphacelo atque carie imprimis oſſium, vulneribus, & ulceribus ſordidis &c. Datur interne ad guttas ſex ad triginta & ultra.

ESSENTIA PIMPINELLÆ ALBÆ EX RADICE.

Fit eodem modo ac Eſſentia Radicis Enulæ.

Virtute gaudet diaphoretica & alexipharmaca, unde in febribus continuis, benignis & malignis, cæteris paribus, commendatur, laudatur quoque in ſcabie. Doſis guttæ viginti, triginta, &c.

ESSENTIA SCORDII EX HERBA.

Eodem fit modo ac Eſſentia Cardui Benedicti.

Diaphoretica, alexipharmaca, & antiſcorbutica habetur. Datur ad guttas viginti, triginta, & ultra.

ESSENTIA SVCCINI.

℞. Succini flavi ſubtiliſſime triti unciam unam,
Spiritus Vini tartariſati rectificatiſſimi uncias octo,

Leni calore in phiola optime clauſa per aliquot dies digerantur, & aliquoties moveantur, tandem liquor tinctus filtretur.

Conducit in affectibus cephalicis generisque nervoſi, ut & in morbis uterinis, convenit quoque in gonorrhœa virulenta; datur ad ſcrupulum unum, ſcrupulos duos, drachmam unam usque.

ESSENTIA TRAVMATICA WEDELII.

℞. Mumiæ,
Sanguinis Draconis ana unciam unam,
Terræ Japonicæ,
Myrrhæ,
Radicum Tormentillæ ana unciam dimidiam,
Florum Roſarum rubrarum,
Hyperici ana drachmas duas,
Santali rubri drachmas tres,
Nuciſtæ drachmam unam.

Inciſa contuſa, extrahe cum Spiritu Vini tartariſato leni calore ad Tincturæ extractionem, quæ decantata, uſui reponatur.

Vires prædicantur inſignes in hæmoptyſi, vomitu cruento, menſibus immodicis, dyſenteria, &c. cum Tinctura Corallorum, Anodina, Martis adſtringente, Elixyrio pectorali. Doſis guttæ viginti, triginta, & ultra.

ESSENTIA TRIFOLII FIBRINI.

℞. Herbæ Trifolii Fibrini exſiccatæ & minutim inciſæ uncias quatuor,
Spiritus Vini rectificati uncias ſedecim,

Stent in digeſtione triduana, poſtea exprimantur, & filtrentur.

Colore viridi elegantiſſima Tinctura virtutes obtinet inſignes antiſcorbuticas atque deoppilativas, unde & in malo hypochondriaco, obſtructionibusque Lienis commendatur, datur ad guttas triginta, & ultra.

CLAS-

CLASSIS NONA
IN QVA
EXTRACTA
EXHIBENTVR.

EXTRACTA SIMPLICIA.

Extractum Abſinthii,
Centaurii minoris,
Chamæpytios,
Cochleariæ,
Enulæ,
Fumariæ,
Gentianæ,
Ligni Aloes,
Liquiritiæ,
Sabinæ,
Sarſaparillæ,
Saſſafras,
Tamariſci,
Tormentillæ,
Turpethi,
Zedoariæ.

Singula hæc Extracta vires ſuorum ſimplicium obtinent.

Extracta Simplicia fiunt affundendo Simplicibus, ex quibus virtutem extrahere volumus, menſtruum aptum vel aqueum, vel vinoſum, & ſpirituoſum, præprimis vero Spiritum Vini. Liquor deinde per coctionem vel digeſtionem ſaturatus per inclinationem decantatur, & per evaporationem vel deſtillationem inſpiſſatur ultra mellis conſiſtentiam. In herbis & radicibus extrahendis ſola quandoque aqua ſufficit; in reſinoſis ſubjectis Spiritu Vini opus eſt, quo ultimo menſtruo Pharmacopoei noſtrates utplurimum uti debent.

EXTRACTVM AGARICI.

℞. Agarici albi & levis quantum volueris. Huic adfunde Spiritus Vini ſufficientem quantitatem, digerantur in vaſe vitreo arctiſſime clauſo, in loco calido, vel ſaltem tepido, per dies tres. Poſtea, dum adhuc calent, colentur, & leviter exprimantur, expreſſum filtretur, & abſtracto rurſus Vini Spiritu, in craſſamentum cogatur, quod ad commodos uſus ſervetur.

Pro ſcopo purgante & vermes necante adhibetur, ſed debiliter admodum agit. Doſis ad ſcrupulum unum, ad ſcrupulos duos.

EXTRACTVM ALOES RESINOSVM.

℞. Aloes Soccotrinæ quantum volueris. Redigatur in

pulverem, huic adfundatur Spiritus Vini rectificatiſſimus, maceretur in loco calido, aliquoties agitando, donec liquor ſaturato colore imbuatur, qui per inclinationem a fæcibus decantetur, & novus Spiritus adfundatur, tantiſper id reiterando, quoad nullus amplius color extrahi videbitur, tandem omnis liquor filtratus ad juſtam ſpiſſitudinem deſtillando redigatur.

Putredini reſiſtit, convenit in cruditatibus acidis & viſcidis, Ventriculum roborat, inſuper alvum laxat. Doſis eſt ad grana decem, quindecim, ad ſcrupulum unum, & ultra: adhibetur potisſimum in pilulari forma. Experientia autem ſæpius comprobat, quod quo minori in doſi exhibeatur, eo melius ſuum edat effectum.

EXTRACTVM ALOES GVMMOSVM.

℞. Aloes Succotrinæ quantitatem ſufficientem, in aqua vel ſimplici, vel Endiviæ, vel Cichorii infunde, poſtmodum coque, & colaturam ad debitam conſiſtentiam redige.

Hoc Extractum a reſinoſitate, torminum & teneſmi hæmorrhoidalis authore liberatum, priori Extracto merito præfertur, pro ſcopo laxandi, daturque vel per ſe, ad grana aliquot, ad ſcrupulum unum, vel pro baſi etiam pilularum aliarum laxantium, & purgantium inſervire poterit.

EXTRACTVM CASTOREI.

Fit extrahendo Tincturam Caſtorei cum Spiritu Vini, illam evaporando ad ſpiſſitudinem juſtam.

Ad affectus Cerebri, Apoplexiam, Epilepſiam, Lethargum &c. & affectus ſpasmodicos, & a quibusdam ad affectus uterinos commendatur. Doſis grana aliquot.

EXTRACTVM CATHOLICVM.

℞. Colocynthidos drachmas ſex,
Agarici optimi,
Scammonii,
Hellebori nigri ana unciam ſemis,
Aloes electæ unciam unam.

Omnia ſufficiente quantitate Spiritus Vini per dies aliquot in loco calido macerentur, qui deinde, relictis fæcibus, decantetur, remanentia exprimatur, & liquor omnis filtratus Balnei calore abſtrahatur, ut Extracti ſpiſſamentum in fundo cucurbitæ remaneat.

Omnes promiſcue humores evacuare dicitur, adeoque in dyſcraſia ſanguinis conducit. Datur ad grana quindecim ad drachmam ſemis, ad ſcrupulos duos.

EX-

EXTRACTUM CORTICIS CHACARILLÆ

CUM AQUA ET VINO FACTUM.

℞. Corticem Chacarillæ confractum, infunde in aqua fervente, digerendo per viginti quatuor horas, poſtea fortiter exprime, & expreſſum liquorem evaporando in Extracti conſiſtentiam redige, remanentiam a priori infuſo infunde rurſus in vino, ac, ut antea, Extractum para, poſtea cum priori Extracto conjunge.

Commendatur in febribus intermittentibus, continuis & catarrhalibus, variolis, atque morbillis, ut & in alvi fluxibus. Doſis grana quinque, modo plura, modo pauciora, aut in formam pilularem acta, aut in potiuncula ſoluta, vel qualibet ſexta hora, vel ſaltem mane, & veſperi.

EXTRACTUM CHINÆ CHINÆ.

Fit cum Spiritu Vini.

Datur ad grana quinque, decem, viginti & ultra, in febribus intermittentibus, tum curative, tum præſervative.

EXTRACTUM CNICOPHARMACUM, SEU DIACARTHAMI.

℞. Medullæ ſeminis Carthami uncias quatuor,
Turbith albi,
Foliorum Sennæ ana unciam unam ſemis,
Scammonii drachmas quinque,
Rhabarbari optimi unciam unam,
Agarici trochiſcati drachmas ſex,
Myrobalanorum Chebularum uncias tres,
Polypodii uncias duas,
Zingiberis albi drachmas duas.

Inciſa & contuſa, in Vini Spiritu, in loco calido, per aliquot dies infundantur, Spiritus tinctus decantetur, & remanentia exprimatur; poſtea liquor filtratus ad Mellis ſpiſſitudinem cogatur.

Laudatur hoc non adeo concinnum Extractum, in Cachecticis, & Hydropicis, ſique ſolum uſurpatur, ad drachmam dimidiam, ad drachmas duas, ſi vero cum aliis, ad ſcrupulum unum, ad ſcrupulos duos, & paulo ultra, præſcribitur.

EXTRACTUM COLOCYNTHIDOS.

Paratur vel cum vino albo & Spiritu Vini, vel cum aqua & Spiritu Vini.

Datur ad grana quatuor, ſex, ad decem. Purgat fortiter & præſtat illud cum aliis purgantibus, ut ſtimuli loco inſerviat jungere, quam ſolum exhibere.

EXTRACTUM CROCI.

Parari poteſt vel extrahendo cum Spiritu Vini, vel cum aliqua aqua, tanquam e re non reſinoſa,

quæque in quemlibet liquorem aquoſum ſuam deponit Eſſentiam.

Cordiale eſt Cephalicum & Uterinum, atque Anodynum. Doſis aliquot grana tantum.

EXTRACTVM DIACITRI.

℞. Succi pomorum Citri expreſſi,
Sacchari albiſſimi ana libram ſemis.

Coque lento igne ad ſpiſſitudinem, in fine adde liquidum Extractum ex ſequentibus cum Spiritu Vini factum:

℞. Scammonii optimi uncias duas,
Mechoacannæ albæ,
Turbith electi ana unciam unam,
Rhabarbari electi,
Cinamomi acuti ana unciam ſemis,
Galangæ,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum ana ſcrupulum unum.

Fiat ſecundum artem Extractum Melliforme.

Ad humores blioſos & ſeroſos expurgandos commendatur. Doſis eſt ad ſcrupulum ſemis, ad ſcrupulos duos, ad drachmam.

EXTRACTVM FOLIORVM SENNÆ.

Cum aqua olei Tartari per deliquium guttis aliquot acuata parari poteſt.

Datur pro ſcopo laxandi & purgandi, ad grana quindecim, triginta & ultra.

EXTRACTVM HELLEBORI NIGRI MASTICHINVM.

Fit extrahendo fibras Radicis Hellebori nigri cum aqua ſale Tartari acuata, addendo ſub finem ſcrupulum ſemis Maſtichis pro drachma una extracti.

Confert in morbis chronicis & rebellibus, Quartana, Cephalæa, Vertigine, Epilepſia, imprimis vero affectibus Hypochondriacis Melancholicis & Maniacis. Datur ad grana quinque, ad quindecim. Miſcetur etiam cum aliis.

EXTRACTVM MAROCOSTINVM.

℞. Aloes Soccotrinæ uncias duas,
Rhabarbari drachmas ſex,
Gummi Ammoniaci drachmas tres,
Myrrhæ electæ,
Coſti,
Agarici ana drachmam unam ſemis,
Mari veri,
Croci ana drachmam unam.

Pulveriſentur, miſceantur & cum Spiritus Vini quantitate ſufficiente fiat Maſſa extractiformis.

Doſis ad ſcrupulum, ad drachmam: ad plures humani corporis morbos, tum præſervandos tum curandos laudatur. Evacuat & alterat.

EX-

EXTRACTVM MARTIS CVM SVCCO POMORVM.

Fit corrodendo Ferrum cum ſucco pomorum, & ſuccum inſpiſſando.

Datur ad grana quindecim, triginta, &c. pro ſcopo aperiendi, & obſtructiones reſerandi, inſervit præprimis in paſſionibus hypochondriacis, & hyſtericis.

EXTRACTVM OPII.

Paratur cum aqua ſimplici, ſucco Citri parum acidulata.

Doſis hujus Extracti anodyni eſt ad granum unum, duo, tria, vel quatuor.

EXTRACTVM OPII, SIVE LAVDANVM OPIATVM.

℞. Opii Thebaici optimi uncias duas,
Aceti roſacei drachmas tres,
Spiritus Vini rectificati tantum, ut digitis tribus ſupereminneat. Digerantur, ſæpius in die agitando; ubi ſic aliquandiu ſteterint, filtrentur, & abſtrahatur Spiritus Vini, lege artis, lento igne, ut in fundo vaſis craſſamentum remaneat; cui addantur
Succini albi præparati ſcrupuli duo,
Eſſentia Croci Auſtriaci ſcrupulus unus,
Miſceantur.

Aſſervatur hic utplurimum incompletum. Conducit ad mitigandos acutiſſimos corporis dolores, vigilias coercendas nimias, fluxusque ſiſtendos. Nec in febribus pertinacibus, quæ Cortici etiam Peruviano reſiſtunt, plane ſpernendum. Doſis eſt in adultis ad granum dimidium, granum unum, duo, tria, quatuor.

EXTRACTVM PANCHYMAGOGVM.

℞. Scammonii unciam ſemis,
Rhabarbari electi,
Seminis Ebuli ana drachmas tres,
Colocynthidos drachmas quinque,
Agarici optimi drachmas tres ſemis,
Turbith albi,
Hermodactylorum ana drachmas duas ſemis,
Hellebori nigri drachmas duas,
Foliorum Sennæ unciam unam,
Spiritus Vini quantum ſufficit.

Stent ſimul in infuſione, loco calido, colentur, & exprimantur, in quo liquore diſſolvatur Aloes Soccotrinæ uncia una ſemis, filtretur, & Spiritum Vini abſtrahendo ad Extracti ſpiſſitudinem redigatur.

Familiare eſt purgans ad omnes humores e corpore eliminandos, datur ad grana quindecim, ad drachmam dimidiam, miſcetur etiam cum aliis.

EXTRACTVM RHABARBARI SIMPLEX.

Fit extractionem inſtituendo cum aqua v. gr. Cichorii.

Datur ad grana quindecim, ad ſcrupulos duos, pro ſcopo laxandi, ſed lente & tarde operatur.

EXTRACTVM RHABARBARI COMPOSITVM.

℞. Pulpæ Colocynthidos unciam unam ſemis,
Florum Stœchadis Arabicæ,
Turpethi ana drachmas decem
Rhabarbari optimi,
Ellebori nigri ana unciam unam ſemis,
Foliorum Sennæ uncias duas,
Cinamomi unciam unam ſemis
Dacrydii drachmas decem,
Storacis liquidæ,
Maſtiches,
Spicæ nardi,
Florum Roſarum rubrarum,
Radicis Aſari ana drachmam unam.

Fiat ſecundum artem Extractum.

Majoris efficaciæ hoc eſt Extractum, & melius fortiusque purgat. Doſis ad grana decem, viginti &c.

EXTRACTVM THERIACALE.

℞. Quod a Tincturæ Bezoardicæ Michaelis deſtillatione remanet, ei novum ſuperadde Spiritum Vini, digere, exprime, filtra, atque ad Extracti conſiſtentiam redige.

Vires ejus diaphoreticæ atque Bezoardicæ deprædicantur, datur ad grana viginti, quadraginta, & ultra.

CLASSIS DECIMA
JVLEPORVM.

JVLEPVS GEMMATVS COMPLETVS ET INCOMPLETVS.

℞. Topaziorum,
Smaragdorum,
Rubinorum,
Sapphirorum,
Hyacinthi,
Sardæ,
Coralliorum rubrorum, ana drachmas duas.

Subtiliter pulveriſatis affunde Aceti deſtillati ſufficientem quantitatem, ut ſolvantur; ſolutum filtretur, & ad ſiccitatem in Balneo abſtrahatur, deinde

℞. Confectionis Alkermes incompletæ uncias duas,
de Hyacintho incompletæ unciam unam,
Aquæ Naphæ ſeu florum Aurantiorum libram unam ſemis,

In temperato calore digerantur, decantentur, & ſuperiori ſolutioni infundantur, clarum per ſubſidentiam quod erit, addita ſacchari albiſſimi libra una ſemis levi abſtractione ad ſyrupi for-

formam reducatur. Tandem pro completo

℞. Moſchi Orientalis,
Ambræ gryſeæ ana grana quindecim.

Diſſoluta cum Spiritu Roſarum prædicto Syrupo addantur, & fiat Julepus.

Uterque Julepus vires obtinere cordiales, ſtomachicas, & adſtringentes creditur, quid cordialis e lapidibus ingrediatur, ſaniores facile judicant.

JVLEPVS ROSARVM.

℞. Aquæ Roſarum odoratiſſimæ uncias quatuordecim,
Sacchari libras duas,
Miſce.

Cordialis cenſetur.

JVLEPVS VIOLARVM.

Uti Præcedens cum aqua Violarum & Saccharo conficitur.

Refrigerandi confortandique fine præſcribitur.

CLASSIS VNDECIMA

QVÆ

LOHOCH

COMPLECTITVR.

LOHOCH AD ASTHMA.

℞. Scillæ præparatæ unciam dimidiam,
Marrubii,
Hyſſopi ana drachmam unam,
Ireos drachmas duas,
Myrrhæ,
Croci ana drachmam ſemis,
Mellis quantum ſufficit.
Fiat Lohoch.

Incidit, attenuat, tuſſim ac reſpirationem ſenum difficilem levat, pectus a frigida, craſſa, tenaci, & impacta pituita potenter expurgat.

LOHOCH DE FARFARA.

℞. Radicum Farfaræ libram unam.

Coquantur in aqua ad mollitiem, poſtmodum contundantur, & colentur, addendoque
Mellis libras duas,
coquantur ad juſtam conſiſtentiam.

In tuſſi & raucedine, aliisque affectibus pectoris conducit.

LOHOCH DE PASSVLIS.

℞. Radicum Pæoniæ unciam ſemis,
Hyſſopi,
Meliſſæ,
Scolopendrii, ſeu Ceterach ana manipulum ſemis,
Glycyrrhizæ unciam ſemis,
Fiat omnium decoctio in ſuffi-

cienti aqua pluviali, facta colatura, cum forti expreſſione, adde

Paſſularum minorum in mortario bene contuſarum libram unam,

Decoquantur, & per pannum lineum fortiter exprimantur, expreſſioni addendo

Sacchari libram unam,

Fiat Lohoch, ut eſt artis.

Ad affectus pectoris, difficilem reſpirationem, pituitam craſſam incidendam, præſertim in infantibus adhibetur.

LOHOCH DE PVLMONE VULPIS.

℞. Pulmonis Vulpis ſiccati & præparati,
Succi Glycyrrhizæ,
Capillorum Veneris,
Seminis Aniſi,
Fœniculi ana unciam unam,
Sacchari clarificati uncias quindecim.

Omnia trita tenuiſſime Saccharo excipiantur, & ad debitam formam redigantur.

Phthiſicis, tabidis, ac ulceratos pulmones habentibus commendatur.

LOHOCH SANVM ET EXPERTVM.

℞. Cinnamomi,
Hyſſopi,
Calaminthæ,
Ireos,
Seminis Aniſi,
Fœniculi ana unciam ſemis,
Capillorum Veneris manipulum unum.

Macerentur per viginti quatuor horas in Aquæ fontanæ libris duabus, poſtea deſtillando abſtrahatur circiter libra una, cum qua ex

Pinearum mundatarum drachmis quinque,
Amygdalarum dulcium drachmis tribus,

Fiat Emulſio, & ſolvendo in ea
Sacchari albi libras duas,

Additisque
Pulveris Glycyrrhizæ,
Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Amyli ana drachmis tribus,
Ireos drachmis duabus,

Optime miſceantur.

In affectibus aſthmaticis, tuſſi, raucedine, & thoracis inflammatione commendatur.

CLAS-

CLASSIS DVODECIMA
IN QVA
MELLA
TRADVNTVR.

MEL ANTHOSATVM.

℞. Infuſi foliorum & florum Rorismarini recentium ſaturatiſſimi uncias decem,
Mellis deſpumati libram unam.
Ebulliant parumper, Colatura ſervetur.
In colica, affectibus ſoporoſis, imprimis Apoplexia, clyſteribus inditur.

MEL MERCVRIALE.

℞. Succi Mercurialis libras tres,
Mellis puri ac optimi libram unam ſemis.
Coquantur & deſpumentur, ut artis eſt.
Adhibetur in clyſteribus abſtergentibus & laxantibus, adhibetur quoque ad repurgandum uterum, pro injectionibus uterinis.

MEL NENVPHARINVM.

Fit ut priora Mellis genera.
Refrigerat & humectat, atque demulcet.

MEL ROSATVM SIMPLEX.

Fit ut Mel Anthoſatum, accipiendo Roſas rubras.
Vulnerarium cenſetur, adhibetur in faucibus, lingua, palato, aliisque partibus his vicinis læſis & quovis modo excoriatis. Uſurpatur etiam in Clyſteribus pro abſterſione.

MEL ROSATVM LAXATIVVM.

℞. Infuſionis Roſarum pallidarum libras ſex,
Mellis libras tres.
Conficiatur ſecundum artem.
Easdem fere quas prius vires obtinet, potentius tamen abſtergit, alvum laxat & infantibus verminantibus etiam dari poteſt ad drachmas aliquot.

MEL VIOLATVM SIMPLEX.

Fit, ut Mel Roſatum ſimplex.
Refrigerat, demulcet, atque ſanat, adhibetur in clyſteribus & gargariſmatibus.

CLASSIS DECIMA TERTIA

OLEORVM

PER INFVSIONEM, COCTIONEM ET EXPRESSIONEM PARATORVM.

OLEVM ABROTANI.

℞. Abrotani recentis inciſi & contuſi libras tres.

Macerentur in Olei Olivarum quantitate ſufficiente, per triduum, deinde coquantur, quod colatum uſui ſervetur.

Commendatur ad dolores abdominis & inteſtinorum placandos, membris paralyticis conducit, & in alopecia ſive defluvio capillorum laudatur.

OLEVM ABSINTHII.

℞. Olei Olivarum libras tres,
Comarum Abſinthii vulgaris recentis contuſarum libram unam.

Macerentur per triduum in loco calido, deinde coquantur, usque dum prunis injectum non amplius ſtrepat Oleum, quod colatum ſervetur.

Calefacit & roborat ventriculum, flatus diſſipat & lumbricos necat.

OLEVM AMYGDALARVM AMARARVM.

℞. Amygdalarum amararum ſiccarum, non tamen rancidarum, quantum voles,
Contundas minutiſſime, poſtea ſecundum artem prælo exprimas.

Attenuat, incidit & digerit, aurium tinnitus & flatus diſſipat, auditum reſtituit, cutis maculas & aſperitates tollit, in urinæ difficultate pubi inungitur; lumbricos necare fertur.

OLEVM AMYGDALARVM DVLCIVM.

Fit ut Oleum Amygdalarum amararum, vel ſine igne, vel cum igne, Amygdalas calefaciendo.

Interne recens ſine igne expreſſum & non rancidum adhibendum. Commendatur ad dolores pleuriticos, nephriticos, colicosque mitigandos, ad alvum laxandam, leniendam acrimoniam ſeri urinarii, urinamque pellendã; conducit etiam in raucedine, tuſſi, aliisque pectoris affectibus, partum facilitat & ad dolores poſt partum prodeſt, infantibus quoque recens natis propinatur. Datur ad unciam ſemis, uncias duas, uncias tres &c. Clyſteribus quoque admiſcetur, ad colicam & fæces induratas. Inungitur in de-

dolore nephritico. Emollit, laxat, anodynum eſt.

OLEVM ANAGALLIDIS.

Oleum Anagallidis paratur ut Oleum Abrotani.

Ad tormina ventris infantum commendatur.

OLEVM ANETHI.

Fit ex floribus & foliis Anethi, ac Oleo claro, eodem modo, quo Oleum Abrotani.

Huic Oleo vires carminativæ, diſcutientes, reſolventes, anodynæ & paregoricæ adſcribuntur.

OLEVM AVELLANARVM EXPRESSVM.

Exprimitur ut Oleum Amygdalarum amararum.

Laudatur ad dolores ſopiendos, imprimis articulorum, cutim exaſperatam lævigat. Commendatur etiam interne ad acres defluxiones. Laudatur ad capillos augendos. Datur ad drachmas duas, unciam unam &c.

OLEVM CANCRORVM.

℞. Cancrorum fluviatilium contuſorum numero decem aut duodecim,
Olei Lini libram unam ſemis.

Coque in vaſe bene clauſo, dein cola & exprime, colatura ſervetur ad uſum.

Demulcet, temperat, medetur ambuſtis, dolores quoque mitigat, etiam podagricos.

OLEVM CANNABIS SEMINIS EXPRESSVM.

Cannabis ſemina contunduntur, torrentur & exprimuntur.

Commendatur ad gonorrhœam virulentam præſertim, regioni renum inunctum, laudatur quoque contra agrypniam.

OLEVM CAPPARVM.

℞. Corticis radicis Capparum unciam unam,
Tamariſci,
Florum Tamariſci,
Seminis Agni caſti,
Ceterach,
Cyperi ana drachmas duas,
Rutæ drachmam unam.

Trita & cum Aceto irrigata, cum Olei Olivarum libra una coquantur ad humiditatis aqueæ conſumtionem, colentur & exprimantur.

In obſtructionibus & tumoribus Lienis potiſſimum commendatur.

OLEVM CASTOREI.

℞. Caſtorei pinguis & mollis a pelliculis mundati unciam unam,
Olei Olivarum veteris libram unam,
Vini generoſi albi uncias tres,
Bulliant ad conſumptionem vini, deinde reponantur ad uſum.

In convulſionibus & affectibus paralyticis, ut & uterinis deprædicatur.

OLEVM CHÆREFOLII.

Fit ut Oleum Abrotani.

Reſolvit, diſcutit inprimis Lac, flatus pellit & urinam promovet.

OLEVM CHAMÆMELINVM.

Fit ex floribus Chamæmeli recentibus & Oleo claro, ut Oleum de Abrotano.

Emollit, laxat, diſcutit & dolores mitigat.

OLEVM CHEIRINVM MESVÆ.

Fit ex Leucojis luteis, hoc eſt, ex Cheiris citrinis, & Oleo claro, ad modum præcedentis.

Ventris torminibus ſuccurrit, lumbricos interimit, uterinæ ſuffocationi medetur, menſes provocat, partum facilitat, ad tormina poſt partum prodeſt, & in nervorum affectibus conducit.

OLEVM CONTRA COLICAM.

℞. Olei Anethi,
Chamomillæ ana uncias quatuor,
Carvi drachmas duas.

Miſce.

Vires ex nomine patent.

OLEVM COLOCYNTHIDOS.

℞. Olei Abſinthii,
Rutæ ana unciam unam,
Fellis Bubuli,
Agnini ana unciam ſemis,
Pulpæ Colocynthidos,
Hellebori nigri ana drachmas duas.

Coquantur ad humiditatis aquoſæ conſumtionem, & colentur.

Ad alvum laxandam, & vermes atque pediculos necandos, ad caſum capillorum, & nigredinem capillis conciliandam adhibetur.

OLEVM CONSOLIDÆ REGALIS.

Fit ut Oleum Chamæmeli.

Adhibetur ad vulnera curanda vermesque necandos, inprimis ad affectionem cardiacam infantum.

OLEVM CORTICVM AVRANTIORVM EXPRESSVM.

Fit ex Corticum exteriore flavedine.

Stomachicum, carminativum atque cordiale habetur. Aſſumitur ad aliquot guttas, vel in Elæoſaccharum redigitur.

OLEVM CYDONIORVM.

℞. Cydoniorum non excorticatorum libras duas,
Olei Olivarum libras tres.

Poſt factam macerationem fiat coctio ad humidi aquei exhalationem, exprimatur & coletur.

Stomachicum eſt, conducit ubi adſtrictione opus eſt, in ventriculi imbecillitate, vomitu, alvique fluxibus nimiis, ſudores quoque, ſpinæ illitum, cohibere fertur.

OLEVM EVPHORBII MESVÆ.

℞. Euphorbii triti unciam ſemis,
Olei Cheirini uncias quinque.

Coquantur & colentur.

Commendatur in affectibus nervorum, ſic dictis frigidis, in ſpecie in

in catarrhis & lethargo, ut & in atrophia, & alopecia, ſed externo ſolum uſu.

OLEVM FORMICARVM MYNSICHTI.

℞. Formicarum vivarum,
Seminis Erucæ ana quantum vis.

Miſce & contunde, ut fiat quaſi paſta, hanc vitro inde, & Soli tamdiu expone, donec Oleum accipias, quod per expreſſionem ſepara, & ad uſum ſerva.

Com̃endatur imprimis ad partes genitales roborandas, Veneremque excitandam, & impraegnationem promovendam. Locum quoque habet in membris paralyticis fovendis.

OLEVM HYOSCYAMI SEMINIS EXPRESSVM.

Semina Hyoſcyami contunduntur, torrentur & exprimuntur.

Eſt anodynum, ſomnum conciliat, ad odontalgiam, dolores ſcorbuticos, cephalalgiam ſcorbuticam laudatur.

OLEVM HYPERICI.

℞. Florum Hyperici ad maturitatem ſeminis fere accedentium contuſorum libras tres,
Croci ſcrupulos quatuor,
Olei clari libras duas.

Poſt factam trium dierum macerationem, bulliant ad humiditatis aquoſæ conſumtionem, poſtea exprimantur, & expreſſum commiſceatur cum Terebinthinæ claræ libra una.

Egregium eſt vulnerarium & anodynum, in doloribus articulorum, in affectibus nervorum & contuſionibus luxationibusque, in colica & verminatione infantum conducens.

OLEVM IRINVM MESVÆ.

℞. Radicum Ireos noſtratis libras tres,
Florum ejusdem libras ſex.

Macerentur in decocto aliarum Radicum Ireos quantum ſufficit, poſtea addantur Olei veteris libræ duæ.

Coquantur, & exprimantur.

Attenuat, reſolvit, detergit atque maturat, tumoribus duris conducit.

OLEVM LACERTARVM.

℞. Olei Nucum Juglandium recenter expreſſi libras tres,
cui immergantur,
Lacertarum viridium numero viginti quinque.

Et in eo ſuffocari & emori permittantur, poſtea inſolentur per tempus & colatura ſervetur.

Reſolvit, hinc ſtrumis & ſcrophulis applicatur, herniis quoque conducit & capillos auget.

OLEVM LAVRINVM EXPRESSVM.

℞. Baccarum Lauri recentium electarum maturarum & contritarum, ſi haberi poterunt, quantum voles.

Eæ in aqua coquantur, colentur & exprimantur, cui expreſſo, poſtquam refrigeratum fuerit, Oleum ſupernatat.

Rarefacit, aperit & emollit, convenit in affectibus uteri frigidis, in flatibus, ſpaſmo flatulento gravidarum, in colica, paralyſi, roborat nervos, reſolvit tumores, in ſcabie ſæpiſſime uſurpatur.

OLEVM LILIORVM ALBORVM.

℞. Florum Liliorum alborum, abjecto quod croceum eſt, Olei ana libras tres.

Macera & inſola per dies octo, poſtea coque & exprime.

Anodynum eſt, emolliens, laxans, abſceſſus & inflammationes maturans & ſuppurans. Convenit in affectibus renum & veſicæ ortis ex acrimonia urinæ, in iſchuria regioni pubis inungitur, in unguentis anodynis adhibetur. Obſtetrices manus hoc Oleo inungunt, inunctasque in ſinum muliebrem immittunt ut emolliatur & lubricetur. Adhibetur etiam in Clyſteribus pro emollienda alvo & laxando utero, genitalia quoque circa pubem, per aliquot dies ante partum, oleo hoc illinire quædam mulierculæ ſolent.

OLEVM LILIORVM COELESTIVM.

Eodem fit modo ac Liliorum alborum.

Digerit atque reſolvit, urinam quoque pellit.

OLEVM LILIORVM CONVALLIVM.

Fit ex floribus Liliorum Convallium & Oleo claro, ut Oleum Liliorum alborum.

Spaſmo, convulſioni & aliis nervorum affectibus frigidis conducit, tormina puerorum ſedat.

OLEVM LIMACVM.

Fit ut Oleum Cancrorum.

Iisque quoque fere uſibus inſervit.

OLEVM LINI EXPRESSVM.

Lini ſemina contuſa & aſſata exprimantur.

Relaxat, expectorationem promovet, contra pleuritidem ſpecificum dicitur, debet autem eſſe recens non rancidum, conducit etiam in aliis affectibus pectoris, tuſſi, aſthmate &c. Sputum promovet & dolores mitigat. Propinatur ad uncias duas vel tres, cum vehiculo. Externe anodynum eſt, convulſionem articulorum curat, muſculorum, nervorum ceruicis duritiem mitigat, ad ani affectus & dolores hæmorrhoidum adhibetur. Prodeſt quoque ad pterygium oculorum & ad ambuſta.

OLEVM

OLEVM LVMBRICORVM.

℞. Lumbricorum terreſtrium libram ſemis.

Laventur in Vino, deinde immittantur in Olei Roſati libras duas. Coquantur ad humidi aquoſi conſumtionem,

Interne laudatur ut ſingulare vulnerarium, externe ut anodynum, laudatur in ſpasmis & contracturis ſcorbuticis, in nervorum vulneribus & puncturis.

OLEVM MAJORANÆ.

Fit ut Oleum Abrotani.

Reſolvit & nervos roborat, errhinum eſt, & in catarrhis & coryza infantum prodeſt.

OLEVM MASTICHINVM MESVÆ.

℞. Olei Roſati libram unam,
in qua diſſolve,
Maſtiches uncias tres.
Fiat Colatura.

Sedat vomitum & fluxus alvi, nervos & juncturas roborat, inflammationi gingivarum, linguæ & totius oris medetur.

OLEVM MATRICARIÆ.

Fit ut Oleum Abrotani.

Conducit in colica, flatibus & uteri affectibus, ut & doloribus poſt partum.

OLEVM MENTHÆ.

Fit ex Mentha domeſtica criſpa, cum Oleo, ut Oleum de Abrotano.

Stomachicum eſt & uterinum.

OLEVM MOMORDICÆ.

Paratur ex infuſione pomorum Momordicæ in oleo Amygdalarum dulcium.

Inſigne eſt vulnerarium, & in vulneribus mammillarum, doloribus hæmorrhoidum & ambuſtione partium maximopere laudatur.

OLEVM PRO MVLIERIBVS.

Nihil aliud eſt quam mixtura ex parte anatica Olei Chamomillæ & Verbaſci.

OLEVM MYRTILLORVM.

Fit coquendo fructus Myrtillorum in ſufficienti quantitate Olei.

Adſtringit & roborat.

OLEVM MYRRHÆ PER DELIQVIVM.

Decoquantur ova Gallinarum ad duritiem, deinde dum adhuc calent ſecentur ſecundum longitudinem, in duas partes æquales, & exemptis vitellis repleantur pulvere Myrrhæ, deinde ſibi invicem committantur rurſus dicta albumina diviſa filoque circumducta ſuſpendantur aut baculis aliquot in patina terrea, vel vitrea diſpoſitis imponantur & in locum humidum frigidumque reponantur. Sic Myrrha in liquorem reſoluta extillabit.

Oleum hoc eximium cenſetur in infectionibus omnibus cutaneis, maculas delet, in ſpecie a Sole productas, ſcabiem, herpetem & ulcera ſanat, conducit egregie in fiſſuris mammillarum & ulceribus.

OLEVM NICOTIANÆ.

Paratur infundendo folia in Oleo communi.

Valet ad tumores diſcutiendos, & membra paralytica fovenda. Prodeſt in coryza, rarius autem eſt in uſu.

OLEVM NARDINVM.

℞. Olei communis libram unam ſemis,
Spicæ Nardi aromaticæ uncias tres.

Poſt factam digeſtionem colentur.

Calefacit, digerit, reſolvit humores craſſos; conducit in membris tremulis & paralyticis, convenit quoque in paſſione hyſterica.

OLEA NOVEM MIXTA.

℞. Olei Amygdalarum amararum,
Chamomillæ,
Conſolidæ Regalis,
Liliorum convallium,
Menthæ,
Rutæ,
Juniperi ana unciam unam ſemis,
deſtillati Anthos,
Succini ana drachmam unam,
Miſce.

Mulierculis pro infantium variis affectibus celebre, commendatur ad colicam & tormina.

OLEVM NVCIS MOSCHATÆ EXPRESSVM.

Nuces Moſchatæ radula attritæ, aut diligenter contuſæ, aquæ calidæ vapore irrigantur, ex quibus poſtmodum, dum adhuc calent, Oleum exprimitur.

Adhibetur hoc Oleum interne & externe, interne pro fluxu alvi compeſcendo in infantibus adhibetur cum pulte, externe pro roborando ventriculo & inteſtinis prodeſt. Conſtituit corpus pro balſamis, imprimis odore & colore privatum.

OLEVM NVCVM JVGLANDIVM.

Conficitur ut Oleum Amygdalarum amararum.

Diſcutit, flatus pellit & doloribus colicis medetur, ad varia quoque vitia cutanea adhibetur.

OLEVM NYMPHÆÆ.

Fit ex floribus Nymphææ, ad modum Olei Liliorum alborum.

Temporibus & fronti illitum ſomnum conciliat, convenit in dolore capitis, vigiliis & phrenitide, lumbis & ſpinæ illitum febres mitigat, renibus & ventri inunctum Venerem extinguit & gonorrhœam ſedat, ambuſtis quoque medetur.

OLEVM OVORVM EXPRESSVM.

℞. Ova recentia numero centum, coquito, donec penitus indurentur, poſtea Vitellos eorum exime, & comminutos

tos aſſa in ſartagine donec ruſeſcant, & pinguedinem quandam emittant, deinde adhuc ferventes & forti ſacculo incluſos exprime.

Vulnerarium eſt, valet ad ambuſta, ad hernias, ad implendas foveas poſt variolas, ad fiſſuras labiorum, papillarum, manuum, pedum, ani, ad dolores hæmorrhoidum & alios, inſigne quoque eſt coſmeticum.

OLEVM PAPAVERIS ALBI.

Præparatur ut Oleum Seminis Hyoſcyami.

Adhibetur externe ad ardorem febrilem mitigandum, ſomnum conciliandum & capitis dolores tollendos, temporibus inunctum.

OLEVM PARALYSEOS, SIVE PRIMVLÆ VERIS.

Fit ex infuſione florum in Oleo.

Paralyticis & convulſis prodeſt.

OLEVM NVCLEORVM PERSICORVM EXPRESSVM.

Præparatur ut Oleum Amygdalarum amararum.

In affectibus aurium, dolore, tinnitu, ſurditate & vermibus laudatur, temporibus illitum in agrypnia & cephalalgia commendatur. Sedat hæmorrhoidum dolores.

OLEVM PERICLYMENI.

Paratur per infuſionem florum in Oleo.

Conducit ad nervos roborandos, laudatur quoque in affectibus Thoracis.

OLEVM DE PIPERIBVS.

℞. Piperis longi,
nigri ana unciam unam ſemis,
Radicum Zingiberis,
Foeniculi,
Apii ana unciā ſemis,
Gummi Ammoniaci,
Opopanacis,
Sagapeni ana drachmas tres,
Surculorum Thymi viridis,
Rutæ ana manipulum ſemis,
Olei Lini libras duas,
Vini rubri libram ſemis.

Contundantur, miſceantur & macerentur in loco calido per menſem, vaſe obturato, deinde coquantur lento igne, colentur & exprimantur, colatum Oleum ſervetur ad uſum.

Cerebri & nervorum frigidas noxas propellit, calefacit, abſtergit, diſcutit, aperit, ad paralyſin, ſpaſmum, tremorem, epilepſiam, uteri, coli, & veſicæ vitia, item ad ventriculum frigidum prodeſt.

OLEVM RANARVM.

℞. Ranarum fluviatilium libram ſemis,
Olei communis libram unam ſemis.

Coquantur usque ad Ranarum diſſolutionem, poſtea colentur.

Refrigerat, in arthritide & podagra convenit, ardorem febrium com-

compeſcit, fronti & temporibus illitum ſomnum conciliat. Medetur ambuſtis.

OLEVM SEMINIS RAPISTRI.

Fit ex Semine per expreſſionem cum igne.

Conducit ad ambuſta & perniones, aphthis quoque medetur.

OLEVM ROSARVM.

℞. Olei communis libras tres,
Roſarum albarum nondum penitus apertarum & contuſarum libram unam ſemis.

Macera & inſola per dies octo, poſtea cola & exprime.

Emollit, mitigat, repellit & refrigerat, ſomnum inducit, alvumque laxat.

OLEVM RVTÆ.

Præparatur ex Ruta, & Oleo vulgari, eodem modo quo Abrotani Oleum.

Inter linimenta carminativa & anticolica atque anthelmintica primatum fere obtinet, calefacit, diſcutit, cum clyſteribus injectum dolorem colicum ſedat, nervorum & ſpinæ reſolutioni convulſionibusque medetur.

OLEVM SALVIÆ.

Fit eodem modo ac Oleum Rutæ.

Partibus nervoſis, quas roborat, amicum eſt & virtute diſcutiente gaudet.

OLEVM SAMBVCI.

Oleum Sambuci fit ex floribus Sambuci & Oleo, ut Oleum Abrotani.

Lenit, abſtergit, mundificat & anodynum eſt.

OLEVM SOLANI E BACCIS.

℞. Baccarum Solani maturarum contuſarum libram unam,
Olei communis libras tres.

Coque ad conſumptionem ſucci, exprime & ſervá uſui.

Refrigerat, incraſſat & ſomnum conciliat.

OLEVM SCORPIONVM MATTHIOLI.

℞. Olei Olivarum libras tres,
Summitatum Hyperici manipulos decem,
Scordii manipulum unum ſemis,
Calaminthæ,
Cardui benedicti ana manipulum unum.

Herbæ contuſæ & in Oleo maceratæ coquantur ad humiditatis aqueæ exhalationem. In colatura infundantur:

Radicis Zedoariæ,
Dictamni albi,
Gentianæ,
Ariſtolochiæ rotundæ ana drachmæ tres,
Baccarum Juniperi uncia ſemis,
Cinamomi drachmæ ſex,
Schœnanthi,
Croci ana drachma una,
Styracis,
Benzoes,
Myrrhæ,

The-

Theriacæ,
Mithridatii ana uncia ſemis,
Scorpionum vivorum numero trecenti.

Macerentur per triduum vaſe bene tecto, poſtea colentur & exprimantur.

Alexipharmacum & cordiale habetur, in peſte aliisque morbis malignis, pulſibus, cordi, temporibus illinitur, adhibetur quoque in morſibus animalium venenatorum & bubonibus peſtilentialibus.

OLEVM SCORPIONVM SIMPLEX.

℞. Scorpionum numero quinquaginta,
Olei Amygdalarum amararum libras duas.

Macerentur in vaſe vitreo ſtricti orificii, per dies triginta, in loco calido, poſtea colatum ad uſus reponatur.

Quidam illud commendant interne, ad urinam pellendam & calculum promovendum. Externe pro eodem ſcopo regioni renum, pubis & veſicæ illinitur, habetur quoque alexipharmacum & pulſibus regionique cordis inungitur.

OLEVM STOMACHICVM CRATONIS.

℞. Olei Abſinthii libram unam,
Summitatum Abſinthii manipulum unum,
Caryophyllorum,
Santali citrini ana drachmas duas,
Roſarum rubrarum,
Macis ana drachmam ſemis,
Maſtiches drachmas duas ſemis.

Macerentur aliquandiu in vaſe optime clauſo, & poſt lenem ebullitionem colentur.

In affectibus Ventriculi, in ejus doloribus, flatibus &c. conducit.

OLEVM SPERMATIS RANARVM.

℞. Olei communis libras tres,
Spermatis Ranarum libras duas.

Coquantur ſimul igne lento ad conſumptionem partis aquoſæ, deinde colentur & ſervetur.

Oleum anodynum eſt & demulcens, medetur ambuſtis.

OLEVM VERBASCI.

Fit ex Verbaſci floribus, ut Oleum e floribus Liliorum alborum.

Emollit & dolores mitigat, conducit in hæmorrhoidibus dolentibus.

OLEVM CONTRA VERMES.

℞. Radicis Gentianæ,
Graminis,
Seminis Rutæ,
Colocynthidos,
Citri,
Santonici ana drachmam unam ſemis,
Lupini drachmas duas,
Herbæ Gratiolæ,
Scordii ana manipulum ſemis,
Florum Centaurii minoris,
Tanaceti ana pugillos tres,
Myrrhæ drachmas duas,
Olei Abſynthii,
Rutæ,
Laurini,
Hyperici ana unciam unam,

Acet

Aceti Squillitici uncias tres,
Olei Liliorum convallium unciam unam ſemis.

Inciſis & contuſis omnibus fiat infuſio per quatuor dies, poſtea decoquantur ad conſumptionem Aceti.

OLEVM VIOLARVM.

Oleum Violarum fit ex floribus Violarum ac Oleo Olivarum, ſicut Roſaceum.

Emollit, lenit, febrilem æſtum mitigat, in vigiliis fronti ac temporibus pro ſomno conciliando illinitur.

OLEVM VULPINVM MESVÆ.

℞. Vulpem integram exemtis interaneis,
Aquæ fontanæ libras tres,
Olei veteris clari libras quatuor,
Salis uncias ſex.

Coquantur, & inter coquendum adjiciatur
Anethi,
Thymi ana libra una,

Coctionem continuando, donec ab oſſibus recedat caro & aqua conſumetur, deinde colatur Oleum ac reponatur.

In affectibus nervorum ſic dictis frigidis uſurpatur.

CLASSIS DECIMA QVARTA

OLEORVM DESTILLATORVM

SERIEM EXHIBENS.

OLEVM DESTILLATVM ABSINTHII.

℞. Summitatum Abſinthii ad maturitatem ſeminis accedentium quantum vis. Incidantur & infundantur per tempus, atque cum aqua fontana deſtillentur per veſicam, exibit aqua cum Oleo, ſeparetur Oleum per bombacem, vel vitrum, quod communiter ſeparatorium dicitur.

In affectibus Ventriculi convenit, interne & externe, in vermibus enecandis, in febribus pellendis & unguentis ſtomachicis prodeſt.

OLEVM AMMONIACI.

Fit eodem modo ac Oleum Galbani.

Externe uſurpatur ad membra præſertim paralytica, obſtructiones reſolvit & tumores diſcutit.

OLEVM ANETHI DESTILLATVM.

Fit ut ſubſequens Angelicæ.

Convenit in Colica ſedanda & flatibus diſcutiendis, cardialgia, paratur exinde Elæoſaccharum. Conducit quoque ad pertinacem ſingultum curandum, ad aliquot guttas aſſumptum. Externe commendatur in cephalalgia & pro ſomno

ſomno conciliando, quo tamen in caſu debet eſſe recens, non rancidum.

OLEVM ANGELICÆ.

℞. Seminis Angelicæ contuſi quantum libet.

Cum aquæ fontanæ ſufficiente quantitate infundatur, poſtea deſtilletur per veſicam, & Oleum ſeparetur ab Aqua.

In affectibus mulierum, in morbis malignis convenit, prodeſt contra cardialgiam & inflationem, inungitur ſcrobiculo cordis.

OLEVM ANISI.

Fit ut Oleum Angelicæ.

Oleum hoc æthereum, aromaticum, odorem & ſaporem Aniſi referens, gaudet ſalibus volatilibus cum ſulphureis permixtis. Attenuat, diſcutit, reſolvit, conducit in affectibus Ventriculi & Inteſtinorum a cauſa, ut loquuntur, frigida ortis, in pectoris morbis a pituita craſſa viſcida natis, item in flatibus diſcutiendis. Aſſumitur interne ad guttas duas, octo &c. vel in vehiculo, vel cum Saccharo. Exterius abdomini & ventriculo inungitur, ut & renibus atque pubi pro urina pellenda.

OLEVM CORTICVM AVRANTIORVM.

℞. Corticum exteriorum recentium non putridorum Pomorum Aurantiorum ſufficientem quantitatem.

Incidantur & absque præcedente fermentatione vel maceratione, copioſius quidem, ſed tamen deterius Oleum daturis, cum aqua fontana deſtillentur per Veſicam; Oleum poſtea ab aqua ſeparando.

Stomachicum & carminativum, colicæ medetur & ſtranguriæ ex acido natæ, vel guttatim aſſumptum, vel in Elæoſaccharum mutatum.

Eodem modo fit,

OLEVM CITRI.

Easdem vires ac prius obtinet.

OLEVM BACCARVM JVNIPERI.

Paratur ut Oleum Angelicæ, in deſtillatione Aquæ vel Spiritus ſimul prodit.

Colicis & Nephriticis utile eſt, urinam pellit & partes urinarias abſtergit, Ventriculum quoque roborat & flatus diſcutit, ingreditur quoque unguenta nervina & antiparalytica.

OLEVM BACCARVM LAVRI.

Fit ut Oleum Angelicæ.

Diſcutit, flatus pellit, contra colicam & paſſionem hyſtericam prodeſt, ſpasmo flatulento medetur, convenit in paralyſi, in doloribus poſt partum pubi & pectini muliebri illitum, conducit quoque ad menſium ſuppreſſionem, dolores aurium ſiſtit & maculas cutis delet.

OLEVM BALSAMI EMBRYONVM.

Videatur ſub aqua Embryonum.

OLEVM BENZOIN.

℞. Benzoin quantum vis.

Pulveriſetur, & adfuſa Aquæ Roſarum ſufficienti quantitate, deſtilletur per Retortam vitream in arena, ſervatis ignis gradibus. Oleum ab aqua ſeparetur modo uſitato.

Oleum hoc valet in catarrhis ad pectus depluentibus, commendatur quoque ad vulnera & ulcera, odontalgicum etiam eſt remedium.

OLEVM BEZOARDICVM.

℞. Olei Scorpionum magni Matthioli unciam ſemis,
deſtillati Angelicæ,
Citri,
Aurantiorum ana ſcrupulum ſemis,
Cinamomi guttas quatuor.

Miſce.

Uſus externus eſt, præſervationis potiſſimum ut & refocillationis gratia, in morbis contagioſis malignis & peſtilentibus.

OLEVM CALAMI AROMATICI.

Obtinetur deſtillando radicem maceratam in aqua.

Calefacit, ſtomachicum eſt & anticolicum.

OLEVM DESTILLATVM CAMPHORÆ SENNERTI.

℞. Camphoræ libram ſemis,
Argillæ libram unam ſemis.

Miſceantur diligentiſſime, & ex retorta in arena lento igne deſtillentur, aſcenditque cum phlegmate Oleum, quod ſeparandum eſt.

Dicitur eſſe ſummum diaphoreticum & alexipharmacum in peſte, ad præſervationem & curationem, ad aliquot guttas datum. Obtinet quoque vim coſmeticam & partibus gangrænoſis prodeſt.

OLEVM CARVI.

Paratur ut Oleum Angelicæ.

Conducit in Stomachi & inteſtinorum affectibus, colicæ medetur flatusque pellit, tum externe tum interne. Externe miſcetur Oleis & linimentis, interne ad aliquot guttas datur in vehiculo appropriato, aut cum Sacch’aro. Urinam quoque promovet, eamque ſuavis odoris reddit.

OLEVM CARYOPHYLLORVM.

℞. Caryophyllorum aromaticorum ſufficientem quantitatem.

In pulverem craſſiuſculum contuſis adfundatur aqua tepida, & poſt quatriduanam digeſtionem, ex veſica deſtillentur, ſepareturque Oleum modo ſolito.

Oleum Caryophyllorum denti cavo inditum odontalgiam ſedat. Contra rigores febrium ante paroxyſmum aliquot guttæ hujus Olei ſumuntur. Illinitur quoque regioni Sterni. Stomachicum præterea eſt & ad gangrænam & cariem conducit.

OLEVM

OLEVM CERÆ.

℞. Ceræ flavæ puræ libram unam.

Huic in retorta capaci liquatæ ſuperinjice largam cineris cribrati quantitatem, poſtea igne per gradus aucto, ex arena deſtilla. Sic prodibit primo phlegma, deinde Spiritus & demum ſequetur liquor, qui in recipiente inſtar butyri coagulatur. Ex butyro jam cum calce viva per retortam deſtillatur Oleum clarum.

Spiritus eſt Medicamentum aperitivum, a quibusdam in dolore nephritico laudatum; exhibetur ad guttas viginti, triginta. Butyrum reſolvit tumores, dolores artuum ſedat, Paralyticis conducit, ad perniones & mammarum fiſſuras confert. Vires Olei ſunt anodynæ, vulnerariæ & reſolutivæ, reſolvit nempe & attenuat tumores contumaciores ex lympha vitioſa ortos, laudatur & contra affectus nephriticos. Interne ingens eſt diureticum, ad urinam & calculum pellendum. Doſis eſt ad guttas duas, tres, quatuor & plures.

OLEVM CHAMOMILLÆ VULGARIS COERVLEVM.

℞. Flores Chamomillæ vulgaris ſiccos, contunde & cum aqua calida parum maceratos deſtilla per veſicam, ac Oleum caeruleum ab aqua ſepara.

Oleum hoc deſtillatum externe convenit in colica, ſuffocatione uterina umbilico & abdomini illitum, ſcrobiculo cordis inunctum: ut ſpecificum contra cardialgiam celebratur, item cum bombace auribus inditum, in eorum doloribus: interne guttatim propinatur contra colicam, præprimis flatulentam & contra calculum, vel in vehiculo, vel cum Sacchato.

OLEVM CINAMOMI.

Obtinetur deſtillando Cinamomum cum aqua per Veſicam.

Stomachicum, Cephalicum atque Cardiacum & Carminativum, interne ad aliquot guttas, & externe exiſtit: parantur exinde Elæoſaccharum, Balſama & Linimenta. Additur quoque purgantibus, tum pro gratia conciliãda, tum pro impediendis flatibus & torminibus.

OLEVM DESTILLATVM CORNV CERVI.

Sub Spiritu Cornu Cervi continetur.

OLEVM CVMINI.

Non aliter paratur ac Angelicæ.

Prodeſt ad tormina & inflationes abdominis, præſertim infantum, adhibetur ad affectus Ventriculi, in Balſamis & Oleis Stomachicis. Odorem ſuum Urinæ fortiter conciliat.

OLEVM EVPHORBII.

Obtinetur deſtillatione per retortam.

Reſolvit humores craſſos & pituitoſos, conducit membris paralyticis.

OLEVM FOENICVLI.

Deſtillatur ut Angelicæ Oleum.

Aperit, attenuat, diſcutit, flatus pellit, colicæ medetur, diureſin & diaphoreſin promovet, Lac auget, nec virtute ophthalmica deſtituitur, fit exinde Elæoſaccharum: ingreditur Linimenta & Olea ſtomachica & carminativa.

OLEVM GALBANI SENNERTI.

℞. Gummi Galbani ſelecti libram unam,
Silicum calcinatorum libram unam ſemis.

Deſtillentur in arena per retortam vitream, & prodibit liquor albus cum Oleo; poſtea rectificentur.

Convenit in affectibus ſpasmodicis, colica convulſiva, affectibus hyſtericis, hemiplexia, membris paralyticis & pareticis, in affectibus ſcorbuticis & contracturis artuum, umbilico & partibus affectis inunctum.

OLEVM LAVENDVLÆ.

Paratur ut Oleum Chamomillæ.

Cephalicum eſt, uterinum, diureticum & carminativum.

OLEVM LIGNI BVXI.

Deſtillatur ut Lignum Quajacum.

Vim posſidet anodynam, & a quibusdam peculiaris vis antepileptica eidem adſcribitur, conducit in doloribus dentium: ſunt qui hoc venditant pro Oleo Heraclino Rulandi, quod alii dicunt eſſe Oleum Corylinum.

OLEVM LIGNI GVAJACI.

Sub Spiritu Ligni Guajaci habetur.

OLEVM LIGNI JVNIPERI.

Deſtillatur ut alia Olea Lignorum.

Applicatur extrinſecus tanquam potens diureticum.

OLEVM LIGNI RHODII.

Lignum Rhodium in ſcobem redactum in vaſe capaci cum magna aquæ quantitate maceretur per quatuordecim dies, poſtea ex veſica, igne moderato deſtilletur, & Oleum ab aqua ſeparetur.

Cephalicum eſt & cordiale, uſurpatur præſertim in odoramentis.

OLEVM LIGNI SASSAFRAS.

Sume bonam quantitatem hujus ligni in ſcobem redacti, hanc immitte veſicæ magnæ, & ſuperfuſa aqua bulliente, juncturis probe clauſis, ſtatim & celeri igne deſtilla, & Oleum fundum aquæ petens, inſtar Olei Cinamomi, poſt plenariam ſubſidentiam ſeparetur & ſervetur.

Stomachicum eſt & uterinum, valet & in Catarrhis.

OLEVM

OLEVM MACIS.

Paratur ut Caryophyllorum.

Stomachicum eſt & in vomitu multum valet. Datur ad guttas tres, quatuor &c. Externe miſcetur linimentis.

OLEVM MAJORANÆ.

Eo ac Oleum Chamomillæ modo obtinetur.

Celebratur in affectibus nervinis, præſertim paralyticis. Prodeſt etiam in catarrhis & Coryza.

OLEVM MASTICHINVM.

℞. Maſtiches libram unam,
Silicum calcinatorum libram unam ſemis.

Mixta deſtillentur ex retorta, in arena, igne moderato, poſtea limpidum Oleum a phlegmate ſeparetur.

Sedat vomitum & fluxus alvi, nervos & iuncturas roborat.

OLEVM MELISSÆ.

Fit ut Oleum Abſinthii.

Cephalicum eſt & cordiale atque uterinum, uſurpatur externe potisſimum.

OLEVM MENTHÆ.

Deſtillatione ut Oleum Abſinthii obtinetur.

Stomachicum eſt atque uterinum.

OLEVM DESTILLATVM MYRRHÆ.

Fit ut Benzoes Oleum.

Aperit, attenuat, putredini reſiſtit, conducit in carie osſium, gangræna &c.

OLEVM DESTILLATVM NVCISTÆ.

Paratur ut Oleum Caryophyllorum.

Cephalicum eſt, Stomachicum & uterinum, adhibetur pro Stomacho roborando & fluxu alvi compeſcendo.

OLEVM OLIBANI.

Fit ut Oleum Maſtichinum deſtillatum.

Commendatur potisſimum in Catarrhis.

OLEVM PHILOSOPHORVM RECTIFICATVM SIVE DE LATERIBVS MESVÆ.

Lateres in pulverem contuſi & calefacti miſceantur cum Olei Olivarum clari ſufficiente quantitate, ſive quantum imbibere poſſunt; poſtea ex retorta, igne aperto & per gradus adhibito, ſecundum artem deſtillentur, Oleumque prolectum ſuper cineres rectificetur.

Penetrat, reſolvit, attenuat, laudatur in affectibus nervorum atque artuum, ſic dictis frigidis, tinnitu itidem aurium & ſurditate.

OLEVM PINI SIVE TEMPLINVM.

Verrucas abigere dicitur, alias cum oleo Terebinthinæ quadantenus coincidit.

OLEVM DESTILLATVM PIPERINVM.

Fit ut Oleum Caryophyllorum.

Commendatur tanquam febrifugum, interne ad aliquot guttas, ad decem exhibitum: externe vero ſpinæ dorſi inunctum. Commendatur etiam ad atrophiam membrorum.

OLEVM PVLEGII.

Fit ut Menthæ Oleum.

Utero potisſimum eſt dicatum.

OLEVM RORISMARINI SIVE ANTHOS.

Prolicitur eadem methodo ac Oleum Chamomillæ.

Interne commendatur in affectibus capitis, apoplexia, paralyſi, ut & in affectibus uterinis ad aliquot guttas. Externe ingreditur præprimis Balſama cephalica.

OLEVM ROSARVM.

Dum deſtillatur Aqua, Oleum quoque obtinetur, præſertim ex Roſis ſalitis.

Cephalicum eſt & cordiale.

OLEVM RVTÆ.

Fit ut Abſinthii Oleum.

Convenit doloribus colicis, morbis flatulentis, præſertim ubi epilepſiæ metus. Exinde quoque paratur cum Oleo Nuciſtæ Balſamum in Cephalalgia & præſervatione a morbis malignis & peſtilentialibus utile.

OLEVM SABINÆ.

Obtinetur deſtillando Sabinam cum aqua, ex veſica.

Fortiter menſes movet, fœtumque pellit, interne ſumptum ad aliquot guttas; adeoque perſonis ſuſpectis minime dandum. Externe reſolvit tumores ſcirrhoſos & clavos diſcutit, doloresque ſopit.

OLEVM SALVIÆ.

Fit ut Abſinthii Oleum.

Gratum eſt partibus nervoſis.

OLEVM SATVREJÆ.

Fit ut Oleum Chamomillæ.

Roborat nervos eorumdemque obſtructiones tollit, habetur etiam anodynum in doloribus dentium & aurium.

OLEVM SATVRNI.

Sal Saturni cryſtallinum tere, & in phiola, adfuſo Spiritu Terebinthinæ, in arena digere, tincturamque extrahe, ut e floribus Sulphuris fieri ſolet; quam ex retorta igne aperto deſtilla, primo lento igne, quoad Spiritus Terebinthinæ exierit; deinde mutato recipiente, paulatim auge ignem, quoad totum Oleum prodierit.

Malignis & exedentibus ulceribus, cancro, polypo &c. medetur.

OLEVM SP.CÆ.

Fit ut Oleum Lavendulæ, addendo parum Tartari, ſicut & ad reliqua Olea ex ſiccioribus plantis parata.

Ce-

Cephalicum eſt, uterinum, diureticum & carminativum, pediculos fugat, tineas libris affrictum arcet.

OLEVM STRVMALE BEZÆ.

℞. Maſtiches,
Olibani,
Gummi Arabici,
Viſci querni ana uncias tres,
Olei Laurini,
Olivarum,
Scarabæorum nigrorum minorum ana uncias quatuor.

Miſceantur & deſtillentur per retortam.

Vires ex nomine patent, uſus eſt externus.

OLEVM SVCCINI.

Vide Sal Volatile Succini.

OLEVM TACAMAHACÆ.

Fit ut Oleum Galbani.

Doloribus ac tumoribus eſt dicatum, ventriculum roborat & podagricis doloribus mederi dicitur, ad affectus hyſtericos quoque prædicatur egregium umbilico illitum.

OLEVM TANACETI.

Fit ut Oleum Chamomillæ.

Commendatur in Lumbricis & menſium obſtructionibus, tum interne, ad aliquot guttas, tum externe.

OLEVM TARTARI FOETIDVM.

Sub Spiritu Tartari habetur.

OLEVM DESTILLATVM TEREBINTHINÆ.

Vide Spiritum Terebinthinæ.

OLEVM THYMI.

Fit ut Chamomillæ Oleum.

Morbis Capitis, Stomachi & Uteri dicatum.

OLEVM VTERINVM.

℞. Olei Caſtorei unciam ſemis,
Galbani drachmam unam,
Succini,
Chamomillæ deſtillati,
Aſæ fœtidæ ana drachmam ſemis.

Miſce.

Vires ex nomine patent.

OLEVM VITRIOLI.

Vide ſub Spiritu Vitrioli.

OLEVM DESTILLATVM ZEDOARIÆ.

Fit ut Oleum Caryophyllorum.

Carminativum, uterinum & alexipharmacum.

CLASSIS DECIMA QVINTA

OXYMELLA ET OXY-SACCHARA

PANDENS.

OXYMEL HELLEBORATVM MAJVS JVLIANI.

℞. Foliorum Rutæ,
Thymi,
Dictamni Cretici,
Hyſſopi,
Pulegii,
Praſii albi,
Cardui benedicti,
Spicæ Celticæ,
Corticum Sambuci interiorum ana manipulum unum,
Calaminthæ montanæ pugillos duos,
Seminis Aniſi,
Fœniculi,
Ocymi,
Urticæ Romanæ,
Anethi ana drachmas duas,
Radicis Angelicæ,
Ari,
Scillæ præparatæ,
Turbith,
Ariſtolochiæ rotundæ,
longæ,
Iridis vulgaris,
Coſti,
Polypodii ana unciam unam,
Hellebori albi,
nigri præparati ana drachmas tres,
Eſulæ præparatæ drachmas duas.

Infundantur triduo in libris ſeptem Aceti acerrimi, & Sapæ unciis duabus, in vaſe vitreato bene obturato, ad Solem vel ad fornacem; deinde in eodem vaſe decoquantur ad medias, ſub finem decoctionis addendo

Agarici electi drachmas duas.

Coletur & cum Mellis Roſati atque Sacchari ana libra una fiat Syrupus, qui ſub finem aromatiſetur cum aromatibus ſequentibus, utpote

Caryophyllorum,
Croci,
Zingiberis,
Galangæ,
Macis ana drachma una.

Abſtergit, incidit, aperit, humores omnes, omniaque excrementa e corpore protrudit, omnesque meatus reſerat, ut vult Geſnerus aliique. Datur ad drachmas duas, ad drachmas ſex.

OXY-

OXYMEL SCYLLITICUM MESVÆ.

℞. Mellis deſpumati libras tres,
Aceti Scyllitici libras duas.

Coquantur lento igne ad perfectam conſiſtentiam.

Conducit in affectibus pectoris pituitoſis, aſthmate & obſtructionibus bronchiorum a materia pituitoſa ortis, mucum enim craſſum reſolvit & expectorationem promovet, convenit quoque in affectibus & cruditatibus ſtomachi. Datur ad drachmam unam, ad unciam ſemis.

OXYMEL SIMPLEX.

℞. Mellis deſpumati libras duas,
Aceti acerrimi uncias decem.

Coquantur ad debitam conſiſtentiam.

Convenit in affectibus pectoris pituitoſis & aſthmaticis, datur ad cochlear dimidium, ad cochlear unum, aliquoties de die.

OXYSACCHARUM EMETICUM LUDOVICI.

℞. Croci metallorum edulcorati drachmas tres,
Aceti uncias decem.

Fiat in loco calido per triduum infuſio, ſæpius agitando, poſtea liquor impregnatus filtretur, cum Sacchari decem unciis, fiat lege artis, Syrupus.

Eſt elegans vomitorium. Exhibetur infantibus verbi gratia trimeſtri ad grana duo circiter, anniculo ad grana ſex, ſeptem, octo &c. Adultis ad drachmas duas, unciam ſemis, ad drachmas ſex ad ſummum. Drachmæ uni respondet granum unum Croci metallorum.

OXYSACCHARUM SIMPLEX.

℞. Succi Granatorum acidorum uncias octo,
Aceti uncias quatuor,
Sacchari albi libram unam.

Miſce coquantur lento igne ad debitam conſiſtentiam.

Sedat ſanguinis ebullitionem, refrigerat & ſiti reſiſtit. Datur cochleatim.

CLASSIS DECIMA SEXTA

PILULARUM CONFECTIONEM

SISTENS.

PILULÆ DE AGARICO MESVÆ.

℞. Agarici drachmas tres,
Iridis,
Marrubii ana drachmam unam,

 Tur-

Turbith drachmas quinque,
Specierum Hieræ picræ Galeni drachmas quatuor,
Colocynthidos,
Sarcocollæ ana drachmas duas,
Myrrhæ drachmam unam,
Sapæ quantum ſatis eſt.
Fiat Maſſa.

Commendantur in morbis ſeroſis, Caput aliasque partes afficientibus, ad ſcrupulum unum, ad drachmam usque.

PILVLÆ DE ALOE VIOLATA.

℞. Aloes optimæ, quæ ſuccum Violarum tertia vice imbiberit, atque reſiccata fuerit, unciam unam.

Ex qua formentur Pilulæ pro lubitu.

Blande dicuntur evacuare, dantur ad ſcrupulum dimidium, ad drachmam ſemis &c.

PILVLÆ ALOEPHANGINÆ SEV AROMATICÆ MESVÆ.

℞. Cinamomi,
Cubebarum,
Ligni Aloes,
Calami Aromatici,
Nucis Moſchatæ,
Macis,
Cardamomi,
Caryophyllorum,
Radicum Aſari,
Maſtiches,
Schoenanthi,
Spicæ Indicæ,
Galangæ ana unciam unam,
Abſinthii ſicci,
Roſarum rubrarum ana drachmas quinque.

Dimidia pars horum aromatum craſſiuſcule contuſa infundatur in aquæ libris quatuor, coquantur lento igne ad mediæ partis conſumtionem, deinde exprimantur & colentur, in colatura diſſolvatur Aloes Socotrinæ cum aqua pluviali elotæ, id eſt, depuratæ libra una, & ulteriori coctura ad juſtam conſiſtentiam perducatur, & cum reliqua aromatum parte ſubtiliſſime trita, nec non
Pulveris Myrrhæ,
Maſtiches ana drachmis quinque,
Croci drachmis tribus,
Fiat Maſſa.

Commendantur ad evacuandum roborandumque ſtomachum. Dantur ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis & ultra.

PILVLÆ DE AMMONIACO QVERCETANI.

℞. Balſami Aloetici, ſive Aloes cum aqua Endiviæ ſolutæ & purificatæ uncias quatuor,
Gummi Ammoniaci puri in aceto ſcillino diſſoluti drachmas ſex,
Myrrhæ electæ unciam ſemis,
Maſtiches,
Specierum Diatrion ſantalon ana drachmam unam ſemis,
Croci,
Salis Fraxini,
Abſinthii ana ſcrupulos duos.

Cum

Cum Syrupo de Stœchade fiat Pilularum Maſſa.

Commendantur ad incidendam Lymphæ viſciditatem & ad eandem educendam. Unde in affectibus hypochondriacis, uteri obſtructionibus, aſthmate atque tuſſi, cachexia febribusque inveteratis conveniunt. Dantur ad ſcrupulum unum, ſcrupulos duos & ultra, ſcrulus Pilularum continet grana tredecim circiter extracti aloetici, Gummi vero Ammoniaci grana duo & paulo plus.

PILVLÆ ANGELICÆ.

Intelliguntur Pilulæ Francofurtenſes.

PILVLÆ ANTIPODAGRICÆ.

℞. Trochiſcorum Alhandali,
Dacrydii,
Aloes Succotrinæ ana unciam unam,
Extracti Ligni Aloes grana viginti quatuor.
Miſce fiat Maſſa.

Vires ex nomine patent, aſſumuntur præſertim præſervationis gratia ad grana quindecim, triginta, ſub Novilunium.

PILVLÆ AVREÆ NICOLAI.

℞. Aloes,
Dacrydii ana drachmas quinque,
Roſarum rubrarum,
Seminis Apii ana drachmas duas ſemis,
Aniſi,
Fœniculi ana drachmam unam ſemis,
Maſtiches,
Pulpæ Colocynthidos,
Croci ana drachmam unam,
Mellis Roſati ſolutivi quantum ſatis eſt.
Fiat Maſſa.

Panchymagogæ habentur & imprimis capiti ſunt dicatæ, Dantur ad ſcrupulum unum, ſcrupulos duos &c. ſcrupulus unus continet Aloes & Diagrydii grana circiter quinque, colocynthidos granum circiter unum.

PILVLÆ CEPHALICÆ.

℞. Maſſæ Pilularum de Succino Cratonis drachmas ſex,
Cochiarum,
Extracti Panchymagogi,
Rhabarbari compoſiti ana drachmas ſex,
Magiſterii Gialappini unciam ſemis.
Cum Spiritu Vini rectificato fiant Pilulæ.

Capiti expurgando præſertim dicatæ. Dantur ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis, quæ continet reſinæ Gialappæ grana quatuor circiter.

PILVLÆ CEPHALICÆ KUFFERI.

℞. Maſſæ Pilularum Tartarearum Quercetani drachmas duas,
de Succino Cratonis drachmam unam,

Cochiarum grana viginti quatuor,
Magiſterii Jalappini grana quindecim,
Nitri præparati drachmam ſemis.
Miſce fiat Maſſa.

Cujus doſis ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis, in purgando Capite.

PILVLÆ COCHIÆ RHASIS.

℞. Specierum Hieræ picræ Rhaſis drachmas decem,
Pulpæ Colocynthidos drachmas tres & ſcrupulum unum.
Dacrydii drachmas duas ſemis,
Stœchadis,
Turbith ana drachmas quinque,
Syrupi de Stœchade quantum ſatis eſt.
Fiat Maſſa.

Ad pituitam evacuandam commendantur, præſertim in affectibus capitis & nervorum. Doſis ſcrupulus unus, drachma ſemis & ultra, ſcrupulus continet Dacrydii grana circiter duo, pulpæ Colocynthidos grana fere tria, Turbith vero grana quatuor.

PILVLÆ DE CYNOGLOSSA.

℞. Radicis Cynogloſſi ſiccæ,
Seminis Hyoſcyami albi,
Opii depurati ana unciam ſemis,
Myrrhæ drachmas ſex,
Thuris drachmas quinque,
Caryophyllorum,
Cinamomi ana drachmas duas,
Croci drachmam unam.
Cum Syrupo ex Succo Violarum & Succo Cynogloſſi, lege artis, formetur Maſſa.

Vim habent anodynam, dolores mitigant & ſiſtunt catarrhales defluxiones in thoracem, quæ gravant pectus, commendantur in tuſſi atque Phthiſi ut & in diarrhœis atque dyſenteriis. Doſis ad grana aliquot, grana decem, ad ſcrupulum: Scrupulus continet de Cynogloſſo, ſemine Hyoſcyami, atque Opio, de quolibet ſcilicet, circiter grana tria.

PILVLÆ EMANVELIS.

℞. Aloes Socotrinæ unciam unam,
Myrrhæ electæ drachmas duas,
Croci Orientalis drachmam unam.
Cum Mithridatio Damocratis fiat Maſſa.

Nomen exinde obtinent, quia Comes quidam e Fuggerorum Gente hoc nomen gerens iis frequenter uſus fuit, alvum blande ſubducunt. Doſis eſt ad grana decem, viginti & ultra.

PILVLÆ FOETIDÆ.

Sunt Pilulæ Matricales Sydenhamii.

PI-

PILVLÆ AD GONORRHOEAM.

℞. Terebinthinæ coctæ unciam ſemis,
Succini albi præparati drachmas duas,
Oſſis Sepiæ drachmam unam,
Succi Liquiritiæ,
Gummi Quajaci ana ſcrupulos duos,
Sacchari Saturni ſcrupulum ſemis,
Balſami de Copayba quantum ſatis.
Miſce fiant Pilulæ.

Detergent & tandem fluxum ſiſtunt. Dantur ad drachmam ſemis, drachmam unam & ultra.

PILVLÆ HYDROPICÆ BONTII.

℞. Aloes optimæ drachmas duas ſemis,
Gum̄i Guttæ Gamandræ ſubtiliter pulveriſati & cum Vino diſſoluti & lævigati drachmam unam ſemis,
Diagrydii eodem modo parati drachmam unam,
Gummi Ammoniaci drachmam unam ſemis,
Tartari Vitriolati drachmam ſemis.
Cum Syrupo Roſarum ſolutivo fiat Maſſa.

Virtus ex nomine patet, aquam fortiter educunt, commendantur quoque in obſtructionibus Meſenterii & Linis. Dantur ad grana decem, ad triginta & ultra, ſcrupulus continet ſeptem grana Aloes, grana quatuor Gummi Guttæ, & grana tria circiter Diagrydii.

PILVLÆ HYPOCHONDRIACÆ BOECLERI.

℞. Extracti Aloetici gummoſi drachmam unam, ſcrupulos duos,
Reſinæ Gialappæ cum nucleis Pini optime tritæ,
Extracti Hellebori nigri maſtichini ana drachmam unam,
Mercurii dulcis rite parati ſcrupulos duos.
Miſce fiat lege artis Maſſa Pilularis.

Conveniunt in obſtructionibus alvinis & Hypochondriorum, in affectione hypochondriaca aliisque pluribus morbis. Dantur ad grana quindecim, ad viginti, triginta & ultra.

PILVLÆ LVCIS MAJORES.

℞. Roſarum,
Violarum,
Abſinthii,
Colocynthidos,
Turbith,
Cubebarum,
Calami Aromatici,
Nucis Moſchatæ,
Spicæ Indicæ,
Epithymi,
Carpobalſami,
Xylobalſami,
Seminis Seſeleos,
Rutæ,
Aniſi,

Fœniculi,
Apii,
Schœnanthi,
Maſtiches,
Radicis Aſari,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Caſſiæ ligneæ veræ,
Croci,
Macis ana ſcrupulum unum,
Myrobalanorum omnium,
Rhabarbari ana ſcrupulos duos,
Agarici,
Senæ ana ſcrupulos duos ſemis,
Euphraſiæ drachmam unam,
Aloes Socotrinæ ad pondus omnium, id eſt, unciam unam drachmas ſeptem.

Excipe Succo Fœniculi & formetur Maſſa.

Theriacalem hanc compoſitionem retinendi neceſſitatem frequens apud plebem uſus impoſuit, Viſum conſervare & nervos opticos ab obſtructionibus liberare dicuntur. Doſis ſcrupulus unus, drachma ſemis & ultra, ſcrupulus continet decem grana Aloes, dimidium granum Agarici, Sennæ, Rhabarbari & Myrobalanorum, quartam autem partem grani Colocynthidos, Turpethi & Aſari.

PILVLÆ MARTIALES SYDENHAMII.

℞. Limaturæ Chalybis uncias duas,
Extracti Abſinthii quantum ſufficit.

Maſſa aſſervetur pro uſu.

Commendantur in affectione hyſterica, cachexia, chloroſi & menſium ſuppreſſione, dantur ad grana duodecim, viginti & ultra, mane & veſperi, ſuperbibendo vehiculum, & motum poſt aſſumptionem inſtituendo.

PILVLÆ MASTICHINÆ.

℞. Maſtiches drachmas quatuor,
Agarici optimi drachmas tres,
Aloes electæ drachmas decem.

Cum ſufficienti quantitate Mellis Roſati lege artis formetur Maſſa.

Catarrhos demulcere & intemperiem Ventriculi ſic dictam frigidam corrigere dicuntur. Dantur ad ſcrupulum unum, ſcrupulos duos.

PILVLÆ MATRICALES SYDENHAMII VEL ETIAM SIC DICTÆ FOETIDÆ.

℞. Myrrhæ electæ,
Galbani ana drachmam unam ſemis,
Caſtorei grana quindecim,
Aſæ fœtidæ ſcrupulum ſemis.

Cum ſufficiente quantitate Balſami Peruviani fiant Pilulæ.

Commendantur in paſſionibus hyſtericis aliisque uteri morbis. Doſis ad grana decem, quindecim & ultra.

PILVLÆ MERCVRIALES CVM ARGENTO VIVO.

℞. Trochiſcorum Alhandali,
Diagrydii Sulphurati,
Pulveris Jalappæ,

Mer-

Mercurii ſive Argenti vivi ana unciam unam,
Terebinthinæ uncias duas.

Inſerviunt præſertim in morbis venereis, dantur ad ſcrupulum, ad ſcrupulos duos. Drachma de ſingulis purgantibus & Mercurio continet grana decem.

PILULÆ MERCURIALES CUM MERCURIO DULCI.

℞. Rhabarbari electi,
Trochiſcorum Alhandal,
Diagrydii,
Mercurii dulcis ana unciam unam,
Terebinthinæ Venetæ Oleo proprio ſtillatitio dilutæ quantum ſatis.

Fiat ex arte Maſſa Pilularum.

Inſerviunt in morbis imprimis Venereis, uſurpari tamen etiam poterunt in obſtructionibus & morbis catarrhalibus. Doſis eſt ad grana duodecim, ad ſcrupulum, ſcrupulus continet de ſingulis purgantibus & Mercurio dulci grana quinque.

PILULÆ CONTRA OBSTRUCTIONES.

℞. Extracti Panchymagogi,
Aloetici Gummoſi ana drachmam unam,
Hellebori nigri maſtichini ſcrupulos duos,
Trochiſcorum Alhandali grana ſedecim,
Olei deſtillati Succini guttas quatuor.

Fiant Pilulæ.

Ad alvum laxandam & obſtructiones alvinas curandas & præſervandas. Dantur ad aliquot grana, ad viginti, ſcrupulus unus continet vix non duo grana trochiſcorum Alhandali, grana quatuor circiter Hellebori, & ſex grana cum duabus tertiis grani reliquorum extractorum.

PILULÆ POLYCHRESTÆ.

℞. Extracti Abſinthii,
Cardui benedicti,
Cochleariæ,
Fumariæ,
Hellebori nigri maſtichini ana drachmas duas,
Myrrhæ electæ,
Terebinthinæ Venetæ ana unciam ſemis,
Gummi Hederæ,
Juniperi,
Benzoes ana drachmas duas,
Florum Sulphuris drachmam unam ſemis,
Aloes Socotrinæ unciam ſemis.

Miſce fiant Pilulæ.

Commendantur ad alvum laxandam obſtructionesque reſerandas & laudantur in affectibus uterinis. Dantur ad grana quindecim, viginti & ultra. Scrupulus continet Aloes grana circiter octo & Extracti Hellebori grana quatuor cum dimidia parte grani circiter.

PILVLÆ DE STYRACE.

℞. Styracis Calamitæ drachmas (duas,
Ladani,
Olibani,
Myrrhæ ana drachmam unam,
Succi Glycyrrhizæ drachmam unam ſemis,
Ambræ griſeæ ſcrupulum unum,
Extracti Opii cum aceto deſtillato parati drachmam unam,
Croci cum Spiritu Vini facti ſcrupulos quatuor,
Miſceantur & cum Spiritu Vini fiat Maſſa.

Commendantur in affectibus catarrhalibus & tuſſi ferina ſiſtenda, ut & prægnantibus cum metu abortus tuſſientibus. Doſis ad grana ſex, ad octo, decem &c. ſcrupulus continet Opii grana duo cum tertia parte grani circiter.

PILVLÆ DE SVCCINO CRATONIS.

℞. Pulveris Succini præparati,
Maſtiches ana drachmas duas,
Aloes Socotrinæ drachmas quinque,
Agarici trochiſcati drachmam unam ſemis,
Ariſtolochiæ rotundæ veræ drachmam ſemis.

Cum Syrupo de Betonica formentur Pilulæ.

A Veteribus maxime commendantur in morbis capitis affectibusque catarrhalibus. Dantur ad grana quindecim, triginta & ultra, ſcrupulus continet Aloes grana octo, Agarici vero grana duo cum tertia parte grani.

PILVLÆ TARTAREÆ QVERCETANI A D. D. SENNERTO CORRECTÆ

℞. Polypodii querni uncias duas,
Radicum Aſari,
Seminum Geniſtæ ana unciam ſemis,
Paſſularum minorum unciam unam ſemis,
Fumariæ,
Scolopendrii ana manipulum unum,
Tartari albi drachmas ſex,
Florum Bugloſſi,
Borraginis ana manipulum ſemis.

Coquantur in Aquæ puræ ſufficienti quantitate ſecundum artem, Decocti clarificati libris duabus adde Succi Pomorum libram unam. In his infunde
Foliorum Senæ uncias duas,
Folliculorum Senæ unciam unam,
Turbith electi & gummoſi,
Radicum Hellebori nigri,
Styracis præparati ana unciam unam ſemis,
Macis,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Epithymi ana unciam ſemis,

In

In vitro clauſo macerentur, & digerantur per quatriduum in Balneo Mariæ, poſtea colentur, colaturæ adde

Cremoris vel Cryſtallorum Tartari uncias tres,
Aloes præparatæ ſeu extractæ uncias quatuor,
Myrrhæ in Vino ad ignem diſſolutæ & percolatæ unciam unam.

Omnia iterum diebus tribus vel quatuor in Balneo Mariæ digerantur, & hinc inſpiſſentur, & coagulentur ad lentum ignem, ſub finem, dum materia fere refrigerata eſt, adde

Specierum Diarrhodon Abbatis,
Lætificantium Rhaſis,
Trochiſcorum de Lacca ana drachmam unam,
Salis Abſinthii,
Fraxini ana drachmas duas,
Eſſentiæ Croci ſcrupulos duos.

Reducantur in maſſæ pilularis conſiſtentiam. Si libet & res poſtulat, Scamonii, Rhabarbari, Trochiſcorum Alhandali extractum & Ammoniacum addi poſſunt.

In obſtructionibus Lienis & Hepatis, Renum, & affectibus hypochondriacis commendantur. Dantur ad grana quindecim, triginta &c.

PILVLÆ DE TEREBINTHINA COCTA.

Vide Terebinthinam coctam.

CLASSIS DECIMA SEPTIMA

PVLVERVM COMPOSITORVM PRÆPARATIONEM OSTENDENS.

PVLVIS CONTRA ABORTVM AVGVSTANORVM.

℞. Granorum Chermes drachmam unam,
Santali rubri drachmam ſemis,
Caryophyllorum ſcrupulum unum,
Nucis Moſchatæ ſcrupulos duos,
Radicis Tormentillæ drachmam ſemis,
Margaritarum præparatarum,
Corallii utriusque præparati ana ſcrupulum unum,
Foliorum Auri numero tria,
Sacchari Perlati drachmas tres.

Miſce fiat Pulvis.

Datur gravidis ad præcavendum abortum ex ovo ſorbili vel vino generoſo, idque non una tantum vice, ſed ſæpius, pondere ſcrupuli dimidii, vel etiam unius, aut admiſcetur Tragæis prægnantibus uſui futuris.

PVLVIS ANTISPASMODICVS.

℞. Concharum præparatarum,
Tartari Vitriolati,
Nitri depurati ana drachmas ſex,
Cinnabaris Antimonii drachmas tres.
Miſce fiat Pulvis.

Comendatur ad refrigerandum, ſitim ſedandam, bilem refrænandam, motus ſpaſticos & convulſivos ſopiendos & præcavendos. Doſis ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis.

PVLVIS ABSORBENS WEDELII.

℞. Antimonii diaphoretici,
Coralliorum rubrorum,
Lapidum Cancrorum,
Concharum præparatarum,
Cinnabaris nativæ ana ſcrupulum ſemis,
Vitrioli Martis grana ſex,
Extracti Opii granum unum.
Miſce fiat Pulvis.

Wedelius aſſerit, effectum hujus pulveris non poſſe ſatis prædicari in affectibus hypochondriacis & inde natis ſymptomatibus, lipothymiis, palpitatione cordis &c. præſens compoſitio eſt pro ſex doſibus, quarum quælibet continere debet granum unum Vitrioli Martis & ſextam partem grani Opii. Doſis integra itaque eſt novem granorum cum dimidio.

PVLVIS BEZOARDICVS LVDOVICI.

℞. Cornu Cervi philoſophice præparati unciam unam,
Terræ ſigillatæ,
Unicornu foſſilis ana unciam ſemis.
Miſce fiat Pulvis.

Prævalere hunc pulverem aliis longe pretioſioribus & magis compoſitis vult Author. Uſus ejus & in puſionibus & in infantibus valet, præſertim febrientibus, recens autem natis ad granum unum, duo, provectioribus usque dum anniculi fiunt ad grana tria, quatuor datur, adultioribus ad grana quindecim viginti & ultra porrigitur, ſique opus, anodynorum vel cinnabarinorum portiuncula exaltari poteſt in caloribus vagis æque ac permanentibus, in exanthematibus, variolis morbillisque, in convulſionibus, terroribus, torminibus ac clamoroſis inquietudinibus admodum proficuus.

PVLVIS BEZOARDICVS ROLLWAGII.

℞. Reguli Antimonii medicinalis,
Radicis Contrayervæ veræ ana drachmas tres,
Boli Orientalis præparati,
Terræ ſigillatæ rubræ,

Cornu

Cornu Alcis philoſophice præparati ana drachmas duas,
Cryſtalli montanæ præparatæ,
Coralliorum rubrorum præparatorum,
Matris Perlarum præparatæ,
Oculorum Cancrorum ana drachmam ſemis,
Sacchari tabulati Citrati unciam ſemis,
Miſce fiat Pulvis.

Laudatur hic pulvis in diverſi generis febribus continuis & ardentibus, variolis & morbillis aliisque exanthematibus. Datur & in dyſenteria infantibus & adultis cuſpidatim, ad duas vel tres ſcilicet cuſpides, ſive ad ſcrupulum unum, ad drachmam ſemis, bis vel ter de die.

PVLVIS BEZOARDICVS SENNERTI.

℞. Cornu Cervi philoſophice præparati drachmas tres,
Oculorum Cancrorum præparatorum,
Terræ ſigillatæ,
Succini præparati,
Margaritarum Orientalium præparatarum,
Coralliorum rubrorum præparatorum ana drachmas duas,
Oſſium de Corde Cervi,
Smaragdi præparati,
Rubini præparati ana drachmam unam,
Lapidis Bezoardici Orientalis ſcrupulos quatuor,
Foliorum Auri quantum ſufficit.
Miſce fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

Conducere dicitur in febribus continuis & ardentibus, variolis & morbillis, morbis exanthematicis & malignis. Virtus quoque cordialis eidem adſcribitur. Quantæ autem ſint ejus vires ſaniores facile judicant. Datur ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis, vel etiam cuſpidatim bis, ter quaterve in die.

PVLVIS BEZOARDICVS WEDELII.

℞. Lapidis Bezoar Occidentalis unciam ſemis,
Terræ Lemniæ,
Unicornu foſſilis,
Radicis Contrayervæ ana unciam unam,
Cornu Cervi philoſophice præparati uncias duas,
Coralliorum rubrorum præparatorum drachmas ſex,
Succini præparati unciam unam,
Olei Citri guttas viginti.
Miſce fiat Pulvis.

Pulvis hic alterandi & confortandi fine utiliſſimus in febribus malignis, variolis, morbillis, dyſenteria & aliis hujus generis morbis. Datur ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis &c. remiſcendus pro re nata cum cinnabarinis, anodynis aliisq;.

PVLVIS CACHECTICVS QVERCETANI.

℞. Limaturæ Chalybis cum Sul-

 phure

phure calcinatæ unciam unam,
Fæculæ radicum Ari,
Ambræ griſeæ ana drachmam unam ſemis,
Coralliorum,
Margaritarum præparatarum ana drachmas duas,
Cornu Cervi philoſophice præparati,
Succini præparati,
Cinamomi ana ſcrupulos quatuor,
Sacchari ad pondus omnium.
Fiat Pulvis.

Hic eſt completus ob Ambram, pro mulieribus ſervatur incompletus ſine Ambra. Uſus ejus eſt in Cachexia quavis aliisque ſtomachi & ſeri vitiis, in Leucophlegmatia, Chloroſi ac pallore Virginum. Datur ad drachmam dimidiam, ad ſcrupulos duos usque.

PULVIS CACHECTICUS BOECLERI SIVE CROCUS MARTIS CUM SULPHURE ET NITRO.

℞. Limaturæ Martis vel Chalybis uncias duas,
Nitri,
Sulphuris ana unciam ſemis.
Miſcæ præparando & per deflagrationem calcinando.

Commendatur ad eosdem uſus ac prior. Datur quoque eodem modo & eadem doſi. Inde fit ſolutio cum vino aromatibus additis pro correctione cochleatim ſumenda.

PULVIS CARTHUSIANORUM SIVE ALKERMES MINERALE.

℞. Antimonii Hungarici groſſo modo contuſi libras quatuor,
Immitte in ollam menſuras duas vel tres continentem, & affunde,
Liquoris Nitri fixi cum carbonibus parati libram unam,
Aquæ fontanæ libras octo,
Fac omnia bullire per duas horas,
Poſtea duas tertias partes liquoris adhuc bullientis per chartam bibulam filtra, repleque vas de novo aqua, admiſcendo prius adhuc,
Liquoris Nitri fixi uncias duodecim, coque ut antea, & filtra ad remanentiam tertiæ partis. Cui tertia quoque vice adde
Aliam Aquam fontanam
&
Liquoris nitri fixi uncias octo,
Ebulliant adhuc per duas horas & poſtmodum liquor filtretur & cum reliquis reponatur ad quietem, ubi ad fundum ſubſidebit pulvis rubicundus, quem poſt decantationem aquæ colliges, edulcorabis bene & ſiccabis. Poſtmodum affunde Spiritum Vini rectificatiſſimum & accenſum deſuper deflagrare ſine, hocque bis aut ter repete, pulverem continuo agitando. Tandem ex-

exſiccatum pulverem in vaſe clauſo ſerva

Sulphur hoc auratum Antimonii mitigatum, ad mentem Glauberi præparatum & in Gallia a Dn. Ligerie, qui illud Monachis Carthuſianis, unde nomen traxit, communicarat, introductum, laudatur inſigniter ob partes ſuas alcalinas, ſulphureas & balſamicas, virtutemque anodynam. Creditur ſanguinem præſertim per tranſpirationem inſenſibilem mundificare, ejusque fluorem conſervare. In cruditatibus primarum viarum agit leniter per ſuperiora æque ac inferiora. Per diureſin quoque operari fertur. Adhibetur in febribus intermittentibus & continuis, hydrope, vertigine, apoplexia, aliisque capitis & nervorum affectibus, in urinæ difficultate, ſabulo &c. Doſis eſt a grano uno, ad tria, quatuor, quinque, pro ratione circumſtantiarum in vehiculo.

PVLVIS CONTRA CASVM.

℞. Terræ Sigillatæ,
Sanguinis Draconis,
Mumiæ ana drachmas duas,
Spermatis Ceti,
Rhabarbari ana drachmam unam.
Miſce fiat Pulvis.

Diſſolvit grumos ſanguinis, hinc præcipitatis, ruptis, contuſis, fractis exhibetur, doſis eſt drachma ſemis, ad drachmam unam.

PVLVIS CORNACHINI CORRECTVS CVM RESINA SCAMMONEI PARATVS.

℞. Reſinæ Scammonei,
Antimonii diaphoretici,
Cremoris Tartari ana partes æquales.
Fiat Pulvis.

Ita dicitur a Cornachino qui commentarium in hunc pulverem ſcripſit, vocatur alias Pulvis Comitis de Warwick, aut Cerberus triceps. Placuit nobis, majoris ſecuritatis & tormina evitandi gratia, Diagrydio ſulphurato ſubſtituere Reſinam. Cito & jucunde operatur, humores peccantes blande educit, vitia ventriculi, nauſeam, anorexiam corrigit, bilioſos affectus curat, febrili imprimis fomiti expurgando idoneus. Doſis in infantibus grana aliquot, Pueris ad ſcrupulum ſemis, adultis ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis, ſcrupulos duos usque: drachma ſemis continet Reſinæ ſcrupulum ſemis.

PVLVIS DENTIFRICIVS MOSCHATVS.

℞. Pumicis uncias duas,
Oſſis Sepiæ drachmas ſex,
Corallii rubri præparati drachmam unam,
Radicis Ireos unciam unam,
Moſchi,
Zibethi ana ſcrupulum ſemis,
Olei Ligni Rhodii,

Olei Nucis Moſchatæ deſtillati
ana guttas quatuor,
Caryophyllorum guttas tres.
Miſce lege artis.

Pro ſexu muliebri Moſchus atque Zibethum omitti poſſunt. Uſurpatur præſertim ad dentes dealbandos.

PULVIS DYSENTERICUS CROLLII.

℞. Succini,
Sanguinis Draconis,
Lapidis Hæmatitis,
Corallii rubri,
Seminis Portulacæ,
Plantaginis,
Anthos,
Radicis Tormentillæ,
Terræ Sigillatæ ana uncias duas,
Balauſtiorum unciam unam,
Nuciſtarum numero quatuor,
Cinamomi unciam ſemis,
Croci Martis adſtringentis,
Talci calcinati,
Matris perlarum calcinatæ ana unciam unam.

Lapides lævigentur, reliquisque minutiſſime tritis addantur.

Uſus ex nomine patet, adhibetur etiam in aliis alvi profluviis, item in hæmorrhagiis & ad abortum præcavendum. Doſis ad ſcrupulum unum, ſcrupulos duos, ad drachmam.

PULVIS AD DYSTOKIAM.

℞. Pulveris Cinamomi unciam unam,
Succini albi præparati unciam ſemis,
Boracis,
Hippoſorcheos ana unciam unam,
Croci ſcrupulos octo.

Omnia in tenuem pollinem redacta miſceantur.

Vires nomen indicat, quod videlicet ad partum & ſecundinas pellendas inſerviat. Datur vel cuſpidatim, vel ad ſcrupulum vel drachmam ſemis.

PULVIS EPILEPTICUS MARCHIONIS.

℞. Radicum Pæoniæ maris, decreſcente Luna effoſſarum unciam ſemis,
Viſci querni,
Raſuræ Eboris,
Ungulæ Alcis,
Spodii,
Cornu Cervi,
Coralliorum rubrorum,
alborum,
Margaritarum præparatarum ana drachmam unam,
Foliorum Auri numero viginti.
Fiat Pulvis.

Remedium eſt in vulgus ſat notum & mulierculis uſitatisſimum, in motibus convulſivis & epilepticis

cis tum curandis tum præſervandis; infantibus exhiberi ſolitum ad ſcrupulum ſemis, ad ſcrupulum unum, vel cuſpidatim etiam infantibus recens natis utplurimum porrigitur.

PVLVIS EPILEPTICVS NIGER KÜFFERI.

℞. Pulveris Epileptici Marchionis uncias duas,
Hirundinum combuſtarum,
Spinæ dorſi Muſtelæ piſcis,
Unicornu veri ana unciam unam.

Miſce fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

Ad Epilepſiam, morbos convulſivos & ſpasmodicos, pavores nocturnos &c. deprædicatur. Doſis ad ſcrupulum unum, ſcrupulos duos &c.

PVLVIS EQVORVM.

℞. Seminis Fœnigræci libras octo p. c.
Radicis Gentianæ libras undecim p. c.
Ellebori albi libras quinque p. c.
Enulæ,
Cardopatii ſive Carlinæ ana libras tres p. c.
Baccarum Lauri libras ſex p. c.

Miſce.

Uſus Veterinariis & Mulo Medicis debet eſſe cognitus.

PVLVIS ERISYPELATODES MYNSICHTI.

℞. Farinæ volatilis uncias ſex,
Plumbi uſti,
Boli rubræ ana uncias duas,
Maſtiches electæ.
Olibani,
Ceruſſæ ana unciam unam.
Miſce & fiat omnium Pulvis ſubtiliſſimus.

Hic Pulvis in Eryſipelate & igne ſacro inſpergitur, aut charta cœrulea inſperſus applicatur & mire juvat.

PVLVIS FVMALIS.

℞. Olibani libram ſemis,
Succini albi libram unam,
Floum Roſarum rubrarum Manipulos duos,
Lavendulæ Manipulum unum ſemis,
Ligni Aloes unciam ſemis.
Miſce.

Uſum nomen demonſtrat.

PVLVIS HALY CONTRA PHTHISIN.

℞. Seminis Papaveris albi drachmas quinque,
Gummi Arabici,
Amyli,
Tragacanthi ana drachmam unam ſemis,
Seminis Portulacæ,
Althææ,
Malvæ ana drachmas duas ſemis,
Melonum,

Cucurbitæ ana drachmas quinque,
Cydoniorum mundatorum drachmas tres ſemis,
Spodii præparati,
Succi Liquiritiæ, vel potius pulveris ejus ana drachmam unam ſemis,
Sacchari Penidii ad pondus omnium.
Miſce, fiat Pulvis.

Tabidis & Phthiſicis hic pulvis ſolet præſcribi, ad tenues & ſalſos catarrhos incraſſandos & ſiſtendos, ne acrimonia ſua corroſionem inducant. Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis. Quoniam autem ob ſemina facile ranceſcit, hinc in minori quantitate & recenter ſemper debet parari.

PVLVIS HEPATICVS RVBER ROLFINCII SIVE DRESDENSIVM.

℞. Cryſtallorum Tartari uncias quatuor,
Tincturæ Santali Spiritu Vini & modico Spiritu Vitrioli paratæ quantitatem ſufficientem,
Miſce in Mortario vitreo ad pultis conſiſtentiam. Exſiccentur ſenſim in leni calore, & minutiſſime pulveriſatæ ſerventur.
Ut guſtui acceptiores fiant adde
Sacchari Canarienſis uncias tres,
Miſce iterum diligenter & ſerva. Incarnato colore ſuo ſe oculis commendant Cryſtalli hæ Tartari compoſitæ.

Vires inſignes ſunt epati præprimis auxiliares æſtuanti. Inde in calidis affectibus tuto uſurpari poſſunt. Doſis grana decem & ultra, aſſumitur hic Pulvis in liquore appropriato.

PVLVIS HYSTERICVS AVGVSTANORVM.

℞. Radicis Dictamni albi drachmas tres,
Zedoariæ drachmam unam,
Corticis Citri ſicci,
Seminis ejusdem ana ſcrupulos duos,
Fragmentorum Lapidum pretioſorum omnium ana grana duodecim,
Specierum Diamargariti calidi drachmas duas,
Sacchari albi unciam unam.
Fiat Pulvis.

In paſſionibus hyſtericis, doloribus & aliis morbis uterinis commendatur. Datur ad ſcrupulum, ad drachmam dimidiam.

PVLVIS PANNONICVS RVBER AVGVSTANORVM.

℞. Boli Armenæcum Aqua Roſarum & Acetoſæ præparatæ uncias tres,
Terræ Lemniæ veræ præparatæ uncias duas,
Coralliorum rubrorum præparatorum unciam dimidiam,
al-

alborum præparatorum drachmas ſex,
Lapidum pretioſorum, ſcilicet
Smaragdi,
Rubini,
Sapphiri,
Hyacinthi ana præparatorum drachmas quatuor,
Margaritarum præparatarum drachmas quinque,
Cinamomi electi drachmas duas,
Caryophyllorum drachmam unam,
Seminis Acetoſæ drachmas duas,
Corticum Citri,
Santali albi ana drachmam unam ſemis,
rubri drachmas duas,
Spodii præparati drachmas quinque,
Raſuræ Eboris drachmas tres,
Croci Orientalis drachmam unam,
Cornu Cervi philoſophice præparati drachmas quatuor,
Foliorum Auri puriſſimi numero quinquaginta.
Fiat omnium Pulvis.

Frequens hujus pulveris & in vulgus notiſſimus uſus pro ſcopo diaphoretico & alexipharmaco, in variolis & morbillis, febribus continuis & malignis. Quoniam autem multis adſtringentibus ſcatet, ſæpius inconſiderato uſu magis nocet quam prodeſt. Ob prædicta autem ingredientia laudatur quoque in alvi fluxibus & dyſenteria. Datur vel cuſpidatim vel ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis.

PVLVIS AD PALPITATIONEM CORDIS RVBER.

℞. Matris Perlarum unciam ſemis,
Cinnabaris Antimonii rite parati & rectificati unciam unam,
Olei deſtillati Cinamomi ſcrupulos duos,
Sacchari albiſſimi uncias duas ſemis,
Foliorum Auri numero octo.
Miſce fiat Pulvis.

Vires nomen indicat, pro confortante remedio atque cordiali poterit etiam uſurpari. Datur ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis, vel ſumitur etiam cuſpidatim.

PVLVIS AD PARTVM AVGVSTANORVM.

℞. Cinamomi drachmam unam,
Croci drachmam ſemis,
Caſſiæ ligneæ ſcrupulos duos,
Succini albiſſimi præparati ſcrupulum unum.
Fiat Pulvis.

In partu accelerando, facilitando, & ſecundinis pellendis conducit, Doſis ad ſcrupulum, ad drachmam ſemis.

PVLVIS PLEVRITICVS.

℞. Mandibularum Lucii Piſcis præparatarum,
Dentis Apri præparati ana drachmas duas,
Lapidum Percarum,
Talorum Leporis,
Oculorum Cancrorum præparatorum,
Seminis Cardui benedicti,
Mariæ ana drachmam unam.
Miſce fiat Pulvis.

Commendatur in quavis pleuritide. Doſis eſt ad ſcrupulum unum, drachmam unam.

PVLVIS PRETIOSVS KüFFERI.

℞. Ungulæ Alcis,
Unicornu veri,
Margaritarum præparatarum,
Viſci querni,
Coralliorum rubrorum,
alborum,
Cornu Cervi ſine igne præparati ana ſcrupulos quatuor,
Radicis Paeoniæ unciam, unam ſcrupulos quatuor.
Miſce fiat pulvis ſubtiliſſimus.

Huic eædem virtutes ac Sennertiano Pulveri Bezoardico attribuuntur, uſurpatur quoque eodem modo & eadem doſi.

PVLVIS STERNVTATORIVS AVGVSTANORVM.

℞. Majoranæ drachmam unam ſemis,
Betonicæ,
Pyrethri ana drachmam ſemis,
Hellebori utriusque ana drachmam unam,
Pulegii ſcrupulum unum.
Fiat Pulvis.

Quem uſum habet titulus indicat.

PVLVIS STOMACHICVS BIRCKMANNI.

℞. Pulveris Radicum Ari præparatarum uncias duas,
Acori vulgaris,
Pimpinellæ ana unciam unam,
Oculorum Cancri unciam ſemis,
Cinamomi drachmas tres,
Salis Abſinthii,
Juniperi ana drachmam unam,
Sacchari Roſati ad pondus omnium.
Conficiatur Pulvis.

Pulvis hic ex aromaticis & præcipitantibus conſtans, conducit in cruditatibus ventriculi, anorexia & dyſpepſia; in affectibus quoque pectoris incidendi gratia convenit. Datur vel per ſe ad drachmam usque, vel communiter inſtar trageæ poſt paſtum ſumi poteſt.

PVL-

PULVIS STOMACHICUS MYNSICHTI.

℞. Cremoris Tartari albiſſimi & Spiritu Vitrioli aliquoties irrorati & iterum exſiccati uncias duas,
Cornu Cervi philoſophice præparati unciam ſemis,
Lapidis Percarum piſcium,
Oculorum Cancrorum præparatorum ana drachmas duas,
Perlarum Orientalium præparatarum,
Coralliorum rubrorum præparatorum ana drachmam unam,
Olei Caryophyllorum,
Cinamomi ana drachmam ſemis,
Sacchari Candi albi uncias octo.

Miſce fiat omnium Pulvis ſubtiliſſimus.

Commendatur ad confortandum ventriculum, cruditates & anorexiam atque dyſpepſiam emendandam. Doſis eſt ad drachmam dimidiam, ad drachmam.

PULVIS STRUMALIS.

℞. Spongiarum uſtarum uncias duodecim,
Lapidis Specularis,
Pumicis,
Pilæ Marinæ combuſtæ ana uncias quatuor,
Lapidis Spongiæ uncias ſex,
Oſſis Sepiæ,
Piperis longi,
nigri,
Zingiberis,
Cinamomi,
Salis Gemmæ,
Pyrethri,
Gallarum ana unciam unam,
Miſce fiat Pulvis.

Ad libram hujus pulveris adde uncias quatuor Sacchari.

Luna decreſcente præſertim in uſum trahitur, mane & ſero, duos cultri cuſpides vel drachmam, & quidem ſi fieri poteſt in forma ſicca, deglutiendo.

PULVIS SYMPATHETICUS.

℞. Vitrioli Veneris Romani vel Cyprii quantum vis, diſſolve in aqua ſimplici, filtra per chartam bibulam, evapora ſuper lento igne & coagula, contunde groſſo modo & ferventioribus Solis radiis expone per quatuordecim dies & ultra usque dum accuratiſſime fuerit calcinatum.

Not. 1. Cum aer ſerenus eſt, Soli eſt exponendum & ubi pluvioſus & humidus, in locum ſiccum transferendum Vitriolum.

N. 2. Ne Marte attingatur, tam quando fit, quam factus eſt pulvis.

 N. 3.

N. 3. Hic labor inſtituendus eſt die vigeſimo quinto Julii Sole in Draconem ingrediente, et præſtat quatuor vel quinque dies & noctes expectare, ut certiores ſimus de ipſius confirmatione in propria domo.

N. 4. Hic Pulvis uſui aſſervandus eſt in loco ſicco, ne excrementitia humiditate recuperata formam priſtinam aſſequatur, unde non levis ſequeretur ipſius virtutis diminutio.

Pro cujusque lubitu miſceri poterit Tragacantha, vel in quantitate æquali vel decimam ſolummodo partem aſſumendo, ſunt qui miſcent Uſneam cranii humani. Non autem ſemper neceſſarium eſt, ut hæc notata obſerventur.

Uſurpatur præſertim externe ad hæmorrhagias ſiſtendas quasvis etiam in ſubjectis remotis, modo de ejus ſanguine in linteaminibus obtineatur, qui ultimus tamen effectus nondum ſatis experientia comprobatus.

PULVIS TRIUM NUMMORUM.

℞. Tragacæ albæ,
Raſuræ Eboris ana libram unam,
Croci Orientalis unciam ſemis.

Miſce fiat Pulvis.

Ad tormina infantum curanda & præſervanda adhibetur a plebe & mulierculis. Datur cuſpidatim.

PULVIS AD VERMES.

℞. Seminis Cynæ uncias duas,
Foliorum Sennæ ſine Stipitibus unciam unam,
Coriandri præparati,
Cornu Cervi uſti,
Muſci Corallini ana unciam ſemis.

Miſce fiat Pulvis.

Virtutes nomen declarat. Doſis ejus eſt ad drachmam ſemis, ad drachmam integram, ſemel vel bis in die, vel ſumitur etiam cuſpidatim, aliquoties de die.

CLAS-

CLASSIS DECIMA OCTAVA
ROB
DESCRIBENS.

ROB BERBERVM.

℞. Succi Berberum depurati quantum volueris,
Sacchari quartam partem.
Coquatur ad ſpiſſitudinem Mellis.

Refrigerat, ſitim ſedat bilemque refrænat.

ROB CERASORVM ACIDORVM.

Paratur eodem modo, quo Rob de Berberibus.

Egregie refrigerat, ſitim ſedat & bilem refrænat.

ROB CORNORVM.

℞. Pulpæ Cornorum libras duas,
Sacchari libram ſemis,
Coquantur ad debitam conſiſtentiam.

Ob virtutem adſtringentem commendatur in fluxibus alvinis.

ROB CYNOSBATI.

Fit ut Rob de Cornis, ex fructu Cynosbati, vel Roſarum ſylveſtrium, qui poſt florum defluvium circa finem Autumni, vel medio Autumno, pulcherrimo rubore matureſcunt.

Commendatur ad renum fervorem, calculos atque arenulas expellendas. Virtus quoque adſtringens ei adſcribitur.

ROB DIAMORON.

℞. Succi Mororum depurati libras duas,
Sacchari libram unam.
Fiat coctio ad juſtam conſiſtentiam.

Commendatur præſertim in oris affectibus, angina, faucium & oris excoriatione ejusque variis puſtalis, uſurpatur vel per ſe, vel in gargarismatibus.

ROB EBVLI.

℞. Pulpæ Granorum Ebuli debitæ conſiſtentiæ libram unam,
addendo ad libram uncias duas vel tres Sacchari.

Diaphoreticum eſt & alexipharmacum atque diureticum pro ſero hydropicorum imminuendo in vulgus notiſſimum, per alvum & urinam operationem ſuam exſerens. Datur ad drachmam unam, unciam ſemis & ultra.

ROB JVNIPERI.

Eodem modo quo prius parari conſuevit.

Sudorem movet & ruſticorum eſt Theriaca, commendatur etiam in ſtomachi morbis & flatibus pellendis, ut & in urina & calculo pellendo. Hydropicis quoque conducere dicitur.

ROB NUCUM.

℞. Succi Corticum viridium Juglandium extracti libras quatuor,
Mellis libras duas.
Coquantur, ut eſt artis.

Virtute quadantenus adſtringente gaudens commendatur in ulceribus Oris & Linguæ demulcendis, item in angina & tonſillis tumefactis.

ROB RIBIUM.

Fit ut Rob Berberum.

Adſtringit, ſitim ſedat, refrigerat & putredinem arcet, commendatur in febribus.

ROB RUBI IDÆI.

Fit ut Rob Ribium.

Vires obtinet cordiales.

ROB SAMCUCI.

Fit ut Ebulinum.

Adeo præſtans eſt, ut vulgus etjam Theriacæ adæquet. Diaphoreticum eſt & maſſam ſanguineam purificat, unde in omnibus affectibus, ubi expulſione opus eſt, uſurpatur. Hydropicis quoque conducit: Virtutem quoque habet antifebrilem, ſumitur ad dimidium, ad integrum cochleare & ultra.

CLASSIS DECIMA NONA
SALIA
DESCRIBENS.

SAL ABSINTHII.

℞. Abſinthii ſicci quantum vis. Comburatur in cineres albos, Sal extrahatur cum aqua communi calida, aliquandiu digerendo, poſtea aqua per inclinationem & filtrationem ſeparetur, idque, novam adfundendo aquam, eouſque repetatur, donec aqua lixivioſo ſapore amplius non imbuatur; tandem exhalando coaguletur & denuo ſolutum & filtratum evaporetur ad ſiccitatem, redigitur deinde in Cryſtallos fuſo ſali adjiciendo & deſuper deflagrando aliquid ſulphuris, quo ipſo tamen caſtratur vis alcalina.

Commendatur ad aperiendas obſtructiones, purgantibus additur pro ſtimulo, virtutem antifebrilem & ſtomachicam obtinere dicitur, & præſertim in vomitu commendatur

datur, datur ad ſcrupulum usque & paulo ultra.

Eodem ac Sal Abſinthii modo paratur.

Sal Artemiſiæ,
Cardui benedicti,
Centaurii minoris,
Fabarum ſtipitum,
Fraxini,
Geniſtæ,
Juniperi,
Ononidis,
Petroſelini,
Tamariſci.

Quibus diverſæ quidem adſcribuntur virtutes, ſed, ſi dicendum quod res eſt, non multum diſcrepant.

SAL ACETOSELLÆ ESSENTIALE.

℞. Succi Acetoſellæ expreſſi depuratique magnam quantitatem; quæ coquendo ad craſſiorem conſiſtentiam deducatur, & in locum frigidum reponatur, ut Cryſtalli in eo concreſcant, quibus exemtis, liquor reliquus ulterius inſpiſſetur, & denuo ad cryſtalliſandum reponatur. Tandem collectum Sal illud, in aqua ſolvendo, filtrando & coagulando, depuretur.

Hepati præprimis eſt dicatum, conducit etiam in febribus ardentibus, utplurimum autem uſurpatur ad maculas ex pannis eliminandas.

SAL ANGLICVM VOLATILE.

℞. Salis Ammoniaci,
Alkali ſive Cinerum clavellatorum ana quantum placet,

Sublimentur in cucurbita alembico & recipiente munita, ut artis eſt, poſtea

℞. Maſſæ ſublimatæ prædictæ unciam unam,
Olei deſtillati Lavendulæ guttas decem.

Miſce & in vitro anguſti colli ſerva.

Uſurpatur externe naribus admovendo pro excitandis Lypothimicis & refocillandis ægris.

SAL CATHARCTICVM AMARVM.

℞. Salis communis depurati ac probe ſiccati libram unam,
Olei Vitrioli quantum ſufficit,
Inſtilletur Oleum Sali, usque dum non amplius efferveſcat, tunc Sal, quod probe notandum, calcinetur in crucibulo ad albedinem, poſtea ſolvatur in aqua calidiſſima, filtretur ac reponatur in cellam, aut alium locum frigidum, ſic obtinebis Cryſtallos elegantiſſimas.

Hujus medicamenti laxantis & purgantis, cujus uſus pro natura hominis novitatis avida nunc viget, doſis eſt ad drachmas duas, ſex, ad unciam unam.

SAL CORNV CERVI VOLATILE.

Vide Spiritum Cornu Cervi.

SAL LVMBRICORVM VOLATILE.

Sub Spiritu videatur.

SAL AVT LAPIS PRVNELLÆ SIVE CRYSTALLVS MINERALIS AVT NITRVM TABVLATVM.

℞. Salis Nitri depurati libram unam.

Exſiccatum & tritum in crucibulo igni impoſito liquefiat, cui dein pedetentim injiciatur florum Sulphuris uncia una; quo deflarato, tandem in laminam metallicam politam guttatim, ut in rotulas abeat, effundatur, ut frigore concreſcat.

Convenit ad ſitim ſedandam & æſtum ſanguinis compeſcendum, hinc in febribus etiam ardentibus uſurpatur, hæmorrhagias quoque ſedat. Adhibetur etiam in inflammationibus faucium & angina. Doſis eſt ad ſcrupulum ſemis, ad drachmam unam & ultra.

SAL POLYCHRESTVM LEMERY.

℞. Nitri crudi,
Sulphuris crudi ana libram unam.

Pulveriſa ac accurate commiſce; conjicito hujus mixturæ unciam unam circiter in optimum crucibulum, in igne prius candefactum, orietur magna flamma, qua præterita, totidem adhuc materiæ in id conjicito, ſicque perge quousque mixtura tota fuerit inſumpta: continua ignem adhuc per horas quatuor vel quinque, ita ut ſemper candens ſit crucibulum, hinc effunde in cacabum æneum ad ignem probe ſiccatum: refrigeratam materiam pulveriſa, ac ſolve in aqua ſufficienti, ſolutionem filtra & evapora in fictili ex glarea vel in vitreo vaſe igne arenæ ad ſiccitatem usque.

Si omnino album hoc Sal haut eſſet, ob ſulphur adhuc latitans id fieret, calcinandum in crucibulo igne magno, ſpatula agitando per horas tres vel quatuor vel quousque probe album evaſerit, hinc iteranda ſolutio in aqua, filtratio ac evaporatio, habebis Sal polychreſtum puriſſimum.

Vires obtinet detergentes & viſcidum incidentes. Hinc optimum purgantibus ſociatum addit ſtimulum, alias & per ſe ad ſcrupulum, ad drachmam usque & ultra exhibitum alvum laxat, in febribus intermittentibus inſigne eſt deobſtruens atque diureticum.

SAL SERPENTVM VOLATILE.

Fit ut Sal Viperarum.

Iisdemque fere virtutibus gaudet.

SAL SVCCINI VOLATILE.

Vide Oleum Succini.

SAL TARTARI.

Sternitur Tartarus in vaſe terreo non vitreato plani fundi ad craſſitiem

tiem digiti; Reverberatur poſtea, ad albedinem usque, tum perfunditur aqua communi, filtratur & coagulatur. Extrahitur etiam ex capite mortuo poſt deſtillationem Spiritus & Olei. In aere humido per ſe in liquorem faceſſit, qui

OLEVM TARTARI PER DELIQVIVM.

Vocatur.

Digeſtivum atque deobſtruens, datur ad ſcrupulum ſemis, ſcrupulum unum & paulo ultra. Purgantibus ſtimuli loco additur ad grana aliquot. Oleum Tartari per deliquium ad maculas cutis delendas, cutim nitidam reddendam & ſcabiem ſanandam adhibetur.

SAL TARTARI VOLATILE EX FECIBVS VINI AVGVSTANORVM.

Feces Vini, poſt factam ex eis Spiritus abſtractionem, ſuper aſſeres effundantur, & in loco umbroſo ſenſim exſiccentur; tum in retorta arenæ impoſita, igne gradatim adhibito deſtillentur. Sal volatile prolectum cum aquæ particula ſolutum & per filtrum, prius aqua madefactum, ab Oleo ſeparatum, additis cineribus, ſublimando ex phiola, depuretur.

Vires adſcribuntur diaphoreticæ & diureticæ, coṁendatur quoque in affectibus ſoporoſis, apoplexia &c. Datur ad grana ſex, decem, quindecim &c.

SAL URINÆ VOLATILE LEMERY.

℞. Urinæ pueri ſani congios quinque vel ſex, ejus humiditatem in cucurbita terrea vel vitrea, igne arenæ evapora, quousque reſideat materia ſub mellis conſiſtentia: tuncque ei capitellum cum excipulo ſuo adapta, commiſſuris accurate lutatis, ignem lentum, ut extillet reliquum phlegma, continua, poſtea pedetentim ignem auge & ſub nubecularum forma una cum Oleo pauco egredientur Spiritus, & poſtea prodibit Sal volatile, quod ſub papilionum forma capitello adhæreſcet: quousque nihil amplius aſcendat, ignem continua: tunc vaſa deluta, ſeparatumque Sal Volatile matracio longo collo prædito inde, huic etiam Spiritum in recipiente contentum affunde, ac matracio cœcum capitellum adapta: madida veſica commiſſuras luta, arenæque ſuperpoſito matracio, omne Sal Volatile igne lento ſublimabis: hoc Sal ſepara atque in probe obturata phiala ſeva.

Penetrans admodum hoc Sal obſtructiones reſerat, urinam & ſudorem ciet, conducit in affectibus ſoporoſis, Apoplexia, Epilepſia &c. Datur ad grana quatuor, ſedecim &c. Si magma poſt deſtillationem relictum calcinetur, per lixivium, quod poſtmodum evaporandum, extrahitur Sal Urinæ fixum.

SAL VEGETABILE SIVE TARTARVS SOLVBILIS AVT TARTARVS TARTARISATVS.

℞. Cremoris aut Cryſtallorum Tartari quantum placet, diſſolvatur in aqua fervente & bulliente, ſolutioni filtratæ & ſuper ignem poſitæ ſenſim inſtilletur Oleum Tartari per deliquium, donec non amplius invicem effervеſcant. Liquor denuo filtretur & evaporetur ad ſiccitatem.

Egregium eſt medicamentum in diſſolvendis cruditatibus ventriculi & hypochondriorum. Habetur pro inſigni aperitivo & diuretico. Purgantium operationem citra tormina egregie promovet. Doſis eſt ſcrupulus ſemis, ad drachmam ſemis, ſolvitur in quocunque liquore, etiam in aqua frigida, in qua Tartarus alias non diſſolvitur.

SAL VIPERARVM VOLATILE.

Viperas in umbra ſiccatas ſeptuaginta duo, inde retortæ terreæ, vel vitreæ lutatæ, quam fornaci reverberii impones, ei excipulum amplum adapta, lutatisque accurate commiſſuris, deſtillationem inchoato igne primum lento, ut incaleſcat leniter retorta, egredieturque guttatim phlegmatica aqua, cum nihil ulterius extillare conſpicies, ignem parumper auge, egredienturque Spiritus, qui albis nubeculis recipiens implebunt, ſub finem Oleum nigrum extillare videbis, & ſimul Sal Volatile recipientis parietibus adhæreſcet: quousque nil amplius egrediatur, ignem continua, quo facto vaſa refrigeſcere permittes, delutabis excipulum parumper, ut a parietibus Volatile Sal diſſolvatur, omnem in eo contentam materiam in matracium longo collo præditum effundes, cui capitellum una cum exiguo excipulo adaptabis, ac veſica madida commiſſuras agglutinabis, arenæ vas impones, igneque ſubtus accenſo Sal Volatile ſublimabitur, & capitello partique matracii ſuperiori adhæreſcet, hoc diſſolve & in probe obturata phiala ſerva.

Sal hocce incidit, penetrat, obſtructiones reſerat, ſanguinem purificat, ejus motum promovet, conducit in morbis ſoporoſis, paſſionibus hyſtericis, febribus variis &c. Doſis ejus eſt ad grana ſex, ad ſedecim, in vehiculo conveniente.

CLAS-

CLASSIS VIGESIMA

SIC DICTARVM SPECIERVM CATALOGVM ENVMERANS.

SPECIES AROMATICÆ CARYOPHYLLATÆ ſive AROMATICVM CARYOPHYLLATVM MESVÆ.

℞. Caryophyllorum unciam unam,
Macis,
Zedoariæ,
Galangæ,
Santali citrini,
Specierum Diarrhodon,
Cinamomi,
Ligni Aloes,
Spicæ Nardi Indicæ,
Piperis longi,
Cardamomi ana drachmam unam,
Roſarum rubrarum unciam ſemis,
Glycyrrhizæ drachmas duas,
Folii Indici,
Cubebarum ana ſcrupulos duos.

Fiat Pulvis ſubtiliſſimus; cui, ſi completum quis deſideret, addantur:

Galliæ Moſchatæ drachmæ duæ,
Ambræ gryſeæ drachma una,
Moſchi ſcrupulus ſemis.

Vires cerebrum, cor & ſtomachum roborandi, flatus diſcutiendi & vomitum ſedandi adſcribuntur. Doſis ad ſcrupulum unum, drachmam unam.

SPECIES AROMATICÆ ROSATÆ COMPLETÆ ET INCOMPLETÆ ſive AROMATICVM ROSATVM GABRIELIS.

℞. Roſarum rubrarum drachmas quindecim,
Glycyrrhizæ raſæ drachmas ſeptem,
Ligni Aloes,
Santali citrini ana drachmas tres,
Cinamomi electi drachmas quinque,
Caryophyllorum,
Macis ana drachmas duas ſemis,
Nucis Moſchatæ,
Cardamomi minoris,
Galangæ ana drachmam unam,
Spicæ Indicæ ſcrupulos duos.
Fiat Pulvis.

Cui pro completo addantur:
Ambræ gryſeæ ſcrupuli duo,

Moſchi ſcrupulus unus.

Vires obtinent hæ Species ſtomachicas, carminativas, anticolicas, cordiales & cephalicas. Dantur ad drachmam ſemis, ad drachmam unam.

SPECIES BEZOARDICÆ.

℞. Lapidis Granati,
Hyacinthi,
Rubini,
Sapphiri ana grana quindecim,
Smaragdi drachmam ſemis,
Ligni Aloes,
Spodii,
Oſſis de Corde Cervi ana ſcrupulum unum,
Cinamomi drachmas quinque,
Terræ Sigillatæ,
Croci Orientalis,
Corticum Citri,
Been albi,
Margaritarum præparatarum ana drachmam unam,
Zedoariæ,
Enulæ campanæ,
Gentianæ,
Carabæ albæ,
Macis ana ſcrupulum unum,
Florum Tunicæ,
Seminis Coriandri præparati ana drachmam unam ſemis,
Radicis Dictamni albi,
Tormentillæ ana drachmas duas,
Boli Armenæ veræ drachmas ſex,
Unicornu veri grana quindecim,
Ambræ gryſeæ grana quinque,
Camphoræ grana tria,
Rhabarbari electi drachmas duas,
Argenti foliati,
Auri finiſſimi foliati ana quantum ſufficit.
Miſce fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

Compoſitio hæc Theriacalis vi alexipharmaca prædita eſſe dicitur. Datur vel cuſpidatim, vel ad ſcrupulum, drachmam ſemis.

SPECIES CORDIALES TEMPERATÆ COMPLETÆ ET INCOMPLETÆ.

℞. Ligni Aloes,
Spodii ex Ebore drachmam unam,
Cinamomi,
Caryophyllorum,
CornuCervi philoſophice præparati,
Doronici,
Been utriusque ana drachmam unam ſemis,
Margaritarum drachmas ſex,
Coralliorum rubrorum,
alborum ana drachmas duas,
Hyacinthi,
Smaragdi,
Sapphiri ana drachmam ſemis,
Croci ſcrupulum unum,
Foliorum Auri,

Ar-

Argenti ana numero decem.
Miſce quibus addimus,
Ambræ,
Moſchi ana drachmam ſemis.
Ut fiant Species completæ.

Cordiales habentur, uſurpantur in lypothymiis & palpitatione cordis, doſis eſt ad ſcrupulum, ad drachmam ſemis, ſcrupulos duos.

SPECIES PRO CATAPLASMATIBVS.

Sunt Species pro Decocto emolliente.

SPECIES PRO CVCVPHIS.

℞. Radicis Ireos Florentinæ uncias tres,
Herbæ Majoranæ,
Lavendulæ ana manipulos duos,
Santali citrini,
Ligni Rhodii ana drachmas ſex,
Cinamomi drachmas duas,
Corticis Aurantiorum unciam ſemis,
Citri unciam unam ſemis,
Caryophyllorum drachmas duas ſemis,
Storacis calamitæ,
Benzoes,
Succini citrini,
Maſtiches ana unciam ſemis.
Miſce pulveriſata groſſo modo.

Uſus tempore aliquot guttis Olei ligni Rhodii, Cinamomi, aut alterius irrora.

SPECIES DECOCTI ANTIFEBRILIS.

℞. Radicis Eryngii,
Cichorii,
Scorzoneræ ana drachmas tres,
Herbæ Meliſſæ,
Endiviæ,
Capillorum Veneris,
Florum Violarum,
Bugloſſi ana pugillum unum,
Paſſularum minorum unciam unam,
Seminis Fœniculi unciam ſemis,
Foliorum Sennæ ſine ſtipitibus drachmas ſex,
Rhabarbari Alexandrini drachmas duas,
Agarici mundati drachmam unam ſemis,
Tamarindorum cum nucleis & ſtipitibus uncias duas ſemis,
Cryſtallorum Tartari drachmas tres,
Salis Abſinthii,
Geniſtæ ana drachmam unam,
Cinamomi acuti ſcrupulos quatuor.
Inciſa & contuſa miſceantur.

Tempore uſus coquantur in quantitate ſufficiente aquæ per horæ quadrantem in vaſe optime tecto. De hoc decocto ſingulis diebus intermisſionis febrilis hauſtus aliquot un-

unciarum, trium vel quatuor aſſumatur. Utplurimum autem ad potiones laxantes vehiculi loco adhibetur, ſicuti quoque haud incommode Manna in eo diſſolvitur. Drachma ſpecierum pro uncia una liquoris eſt ſumenda.

SPECIES DECOCTI ANTIPHTISICI.

℞. Herbæ Pulmonariæ utriusque,
Hederæ terreſtris,
Tuſſilaginis,
Piloſellæ,
Hyſſopi,
Marrubii,
Sanniculæ,
Plantaginis minoris,
Agrimoniæ,
Virgæ aureæ,
Scabioſæ,
Trifolii pratenſis,
Florum Hiſpidulæ ſive Piloſellæ,
Bellidis minoris,
Roſarum,
Violarum ana manipulos ſex,
Radicis Symphyti majoris,
Ireos Florentinæ,
Altheæ ana unciam unam ſemis,
Liquiritiæ uncias duas,
Seminis Aniſi drachmas duas.

Inciſa & contuſa ſerventur pro uſu.

Convenit decoctum ex his ſpeciebus paratum aliquoties de die calide hauſtum in Phthiſi. Pro duabus libris liquoris ſumi poteſt uncia una ſpecierum & ultra.

SPECIES DECOCTI ANTIPLEVRITICI.

℞. Herbæ Scordii unciam unam ſemis,
Scabioſæ uncias duas ſemis,
Trifolii fibrini unciam ſemis,
Florum Cichorei ſylveſtris drachmas ſex,
Bellidis minoris unciam unam ſemis,
Papaveris Rhœados unciam unam,
Seminis Aniſi,
Fœniculi ana unciam unam,
Radicis Liquiritiæ unciam unam ſemis.

Inciſa & contuſa ſerventur pro uſu.

Vires ex nomine patent, fit exinde decoctum, ubi pro libra liquoris uncia una ſumenda.

SPECIES DECOCTI APERITIVI MAJORIS.

℞. Herbæ Endiviæ,
Cichorii,
Fumi terræ ana manipulum unum,
Eupatorii,
Boraginis,
Bugloſſi,
Cuſcutæ,
Scolopendrii veri ana manipulum ſemis,
Glycyrrhizæ raſæ,

Ra-

Radicis Fœniculi,
Apii,
Petroſeleni,
Paſſularum ana unciam ſemis,
Seminis Aniſi,
Fœniculi ana drachmas duas,
Comarum Thymi,
Epithymi,
Corticis Tamariſci,
Capparum ana drachmas duas,
Foliorum Sennæ uncias duas,
Polypodii querni unciam unam,
Agarici electi unciam ſemis.

Incidenda incidantur, & quæ contundi debent, craſſiuſcule terantur & miſceantur omnia, ac uſui ſerventur.

Laudatur decoctum exinde factum ad quascunque obſtructiones in abdomine: uſurpatur autem frequentius ad medicamenta laxantia & purgantia in eo diſſolvenda. Per ſe hauritur ad aliquot uncias.

SPECIES DECOCTI APERITIVI SIVE LENITIVI MINORIS.

℞. Herbæ Agrimoniæ,
Lupuli,
Cichorii,
Cuſcutæ,
Betonicæ,
Ceterach,
Endiviæ,
Fumi terræ ana uncias duas,

Radicis Apii,
Fœniculi,
Petroſeleni,
Acori,
Glycyrrhizæ ana uncias quatuor,
Aſari unciam ſemis,
Seminis Aniſi,
Fœniculi ana unciam unam,
Polypodii querni uncias duodecim,
Prunorum Damaſcenorum,
Ficuum pinguium ana numero triginta duas,
Paſſularum uncias quatuor,
Sennæ Alexandrinæ unciam unam,
Florum quatuor cordialium ana unciam unam.

Incidantur, contundantur, ac miſceantur.

Conducit decoctum exinde paratum ad eosdem uſus ac antecedens, eodemque modo uſurpatur.

SPECIES DECOCTI CARMINATIVI.

℞. Seminis Aniſi,
Dauci,
Cumini,
Carvi,
Fœniculi ana drachmas tres,
Glycyrrhizæ unciam ſemis,
Florum Chamæmeli manipulum unum,
Paſſularum unciam unam ſemis.

Inciſa miſceantur.

Harum Decoctum, quamvis & per os aſſumi queat, frequentisſime tamen & utplurimum in clyſteribus adhibetur.

SPECIES DECOCTI EMOLLIENTIS.

℞. Herbarum quinque emollientium,
Florum Chamomillæ ana manipulum unum,
Seminis Lini,
Radicis Altheæ,
Malvæ ana unciam ſemis.
Miſce inciſa.

Decoctum exinde factum inſervit imprimis pro clysmatibus.

SPECIES DECOCTI FLORVM ET FRVCTVVM.

℞. Caricarum numero quinque,
Prunorum Damaſcenorum numero quindecim,
Jujubarum numero quadraginta,
Tamarindorum unciam unam,
Florum Roſarum,
Violarum,
Boraginis,
Bugloſſi ana drachmam unam,
Lupuli,
Herbæ Capillorum Veneris,
Endiviæ ana manipulum ſemis,
Glycyrrhicæ drachmas duas.
Incidantur & contundantur pro uſu.

Non ſolum Decoctum harum ſpecierum pro uſu pectorali inſervit, ſed & in aliis morbis pro potu ordinario poteſt uſurpari. Doſis uncia ſemis, uncia una, ad unciam unam ſemis pro libra liquoris, pro ratione circumſtantiarum. Pro potu ordinario communiter uncia una ad menſuram unam liquoris ſumitur.

SPECIES DECOCTI LIGNORVM.

℞. Ligni Sancti,
Saſſafras ana uncias duas,
Radicis Polypodii unciam unam,
Sarſaparillæ,
Chinæ,
Liquiritiæ ana unciam ſemis.
Miſce.

Inſerviunt pro decoctis ſudoriferis in affectibus catarrhalibus, ſcabie, morbis venereis &c. Adhibentur diverſa doſi, pro intentione & ſcopo curantis.

SPECIES PRO DECOCTO NEPHRITICO FORESTI CORRECTÆ A ZWELFFERO.

℞. Radicis Liquiritiæ unciam unam ſemis,
Petroſelini,
Fœniculi ana uncias duas,
Ireos Florentinæ unciam unam ſemis,
Florum Malvæ,
Biſmalvæ ana drachmas ſex,

Se-

Seminum quatuor frigidorum majorum excorticatorum ana drachmas quinque,
Fœniculi,
Saxifragiæ,
ana drachmas ſex,
Cicerum rubrorum confractorum uncias ſex,
Jujubarum,
Ficuum ana numero triginta,
Hordei mundati & prius loti uncias tres.

Inciſa & contuſa craſſiuſcule ſerventur pro uſu.

Ad dolores ex calculo leniendos decocta ex iis paranda, quæ abſtergunt, leniunt, calculumque pellunt ac urinam promovent. Pro libra liquoris uncia una ſemis &c. requiritur.

SPECIES DECOCTI PECTORALIS.

℞. Paſſularum minorum mundatarum unciam unam,
Jujubarum numero triginta,
Dactylorum numero ſex,
Caricarum pinguium numero quatuor,
Hordei mundi unciam unam,
Radicis Glycyrrhizæ unciam ſemis,
Herbæ Capillorum Veneris,
Hyſſopi,
ana drachmas duas.

Incidantur & miſceantur.

Decoctum harum ſpecierum pro morbis pectoris, tusſi, aſthmate, reſpiratione difficili commendatur. Pro ſcopo pectorali uncia una, ad unciam unam ſemis pro libra liquoris ſumitur. Pro potu ordinario ad menſuram unam liquoris uncia una ſpecierum ſufficit.

SPECIES DIACINAMOMI.

℞. Cinamomi tenuis uncias duas,
Caſſiæ ligneæ,
Radicis Enulæ ana unciam ſemis,
Galangæ unciam unam,
Caryophyllorum,
Piperis longi,
Zingiberis,
Cardamomi utriusque,
Macis,
Nucis Moſchatæ,
Ligni Aloes ana drachmas tres,
Croci drachmam unam,

Miſce.

Stomacho præſertim dicatæ hæ ſpecies, in cruditatibus acidis & pituitoſis, dantur ad ſcrupulum, ad ſcrupulos duos.

SPECIES DIACRETÆ MYNSICHTI.

℞. Cretæ albæ cum aqua Roſarum præparatæ drachmas tres,
Nucis Moſchatæ drachmam unam ſemis,
Radicis Glycyrrhizæ,
Seminis Cydoniorum ana drachmam unam,
Boli rubræ præparatæ,
Corallorum rubrorum præpa-

parato rum ana drachmam ſemis,
Lapidis Carpionis cum aqua plantaginis præparati,
Macis,
Maſtichis electæ,
Croci Orientalis ana ſcrupulum unum,
Sacchari albi uncias tres.
Miſce & fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

Abſorbendo & obtundendo acidum, ad ardorem ſtomachi, fluxus alvi compeſcendos commendatur. Doſis eſt ad drachmam dimidiam, ad drachmam unam.

SPECIES DIACVBEBARVM SCHROEDERI.

℞. Santalorum trium ana unciam ſemis,
Spodii præparati,
Raſuræ Eboris ana drachmas tres,
Seminis Amomi,
Cubebarum ana unciam unam.
Miſce fiat Pulvis.

Aperit hoc remedium & hepati dicatum eſt, datur ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis & ultra.

SPECIES DIAIREOS SIMPLICES AVGVSTANORVM.

℞. Ireos unciam ſemis,
Sacchari canti albi,
Specierum Diatragacanthi frigidi ana drachmas duas.

Hoc medicamentum ad humores tenaces incidendos in pulmonibus, ad facilitandam expectorationem, difficilemque reſpirationem facere fertur. Exhibetur ad ſcrupulum unum, ad duos. Hoc tamen habet vitii quod cum tempore rancorem contrahat.

SPECIES DIAMARGARITARVM FRIGIDÆ AVGVSTANORVM.

℞. Seminum quatuor frigidorum majorum excorticatorum,
Portulacæ,
Papaveris albi,
Roſarum rubrarum,
Florum Nymphææ albæ,
Boraginis,
Baccarum Myrti,
Santali albi,
citrini,
Ligni Aloes ana drachmam unam,
Corallii albi,
rubri ana drachmam ſemis,
Margaritarum Orientalium drachmas tres.

Species Diamargaritarum frigidæ vocantur quoniam nulla ingrediuntur aromata. Vires obtinere hoc remedium fertur cordiales atque alexipharmacas, exhibetur a ſcrupulo ſemis, ad ſcrulos duos.

SPECIES DIAMBRÆ MESVÆ.

℞. Cinamomi,
Doronici,
Caryophyllorum,
Macis,

Nucis Moſchatæ,
Folii,
Galangæ ana drachmas tres,
Spicæ Indicæ,
Cardamomi majoris,
minoris ana drachmam unam,
Zingiberis drachmam unam ſemis,
Ligni Aloes,
Santali citrini,
Piperis longi ana drachmas duas,
Ambræ drachmam ſemis.
Fiat Pulvis; quem completum facimus, addendo
Moſchi drachmam ſemis.

Vires obtinent cephalicas, cordiales atque ſtomachicas, ut & aphrodiſiacas. Exhibentur ad ſcrupulum ſemis, ad ſcrupulos duos: plerumque autem cum Sacchatro in Rotulas convertuntur.

SPECIES DIAMOSCHU DULCES.

℞. Croci,
Doronici,
Zedoariæ,
Ligni Aloes,
Macis ana drachmas duas,
Margaritarum,
Carabe,
Coralliorum rubrorum ana drachmas duas ſemis,
Herbæ Ocimi caryophyllati ſive Baſilici,
Zingiberis,
Cubebarum,
Piperis longi ana drachmam unam ſemis,
Folii,
Spicæ Indicæ,
Caryophyllorum ana drachmam unam,
Moſchi ſcrupulum unum.
Miſce.

Commendatur hic pulvis ad affectus præſertim cerebri frigidos, vertiginem, epilepſiam, apoplexiam, ad palpitationem cordis & affectus melancholicos. Doſis eſt a ſcrupulo dimidio, ad ſcrupulos duos. Quid contribuat facile quis hariolari poteſt.

SPECIES DIARRHODON ABBATIS NICOLAI PRÆPOSITI JUXTA PHARMACOPOEAM AUGUSTANORUM.

℞. Santali albi,
rubri ana drachmas duas ſemis,
Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Spodii ana ſcrupulos duos,
Succi Glycyrrhizæ,
Aſari,
Maſtiches,
Spicæ Indicæ,
Cardamomi,
Croci,
Ligni Aloes,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Rhabarbari electi,
Seminum Berberum,
quatuor frigidorum majorum,

Aniſi,
Fœniculi,
Baſilici,
Papaveris albi,
Intybi,
Portulacæ,
Lactucæ ana ſcrupulum unum,
Margaritarum,
Oſſis de Corde Cervi ana ſcrupulum ſemis,
Roſarum,
Sacchari canti ana unciam unam drachmas tres,
Miſce.
Completæ fieri poſſunt per
Galliæ moſchatæ ſcrupulum unum,
Camphoræ grana ſeptem,
Moſchi grana quatuor.

Pulvis ab inventore Abbate dictus, quamvis omnino modo inconcinno mixtus commendatur hepaticis, ictericis, cardiacis & cœliacis, medetur menſibus ſuppresſis & cachexiæ. Doſis ad ſcrupulum dimidium, ad ſcrupulos duos.

SPECIES DIATRAGACANTHÆ FRIGIDÆ AVGVSTANORVM.

℞. Tragacanthæ candidæ uncias duas,
Gummi Arabici unciam unam drachmas duas,
Amyli uncias ſemis,
Glycyrrhizæ,
Seminum quatuor frigidorum majorum ana drachmas duas,
Papaveris albi drachmas tres.
Miſce.

Incraſſat & inviſcat hoc remedium, unde convenit in defluxionibus catharrhalibus tenuibus & acribus, tusſi, pleuritide &c. Exhibetur ad drachmam ſemis, ad drachmam unam.

SPECIES DIATRION PIPEREON MESVÆ.

℞. Trium Piperum ana drachmas quinque,
Zingiberis,
Thymi,
Aniſi ana drachmas duas,
Spicæ Indicæ,
Amomi ana drachmam unam,
Caſſiæ ligneæ,
Radicum Aſari,
Enulæ,
Seminis Apii,
Seſeleos ana drachmam ſemis.
Miſce fiat Pulvis.

Stomacho, in cruditate præſertim acida, flatibus diſcutiendis & concoctione juvanda conducunt. Doſis eſt ad ſcrupulum ſemis usque ad drachmam, imprimis poſt paſtum. Quidam ex his cum Saccharo parent rotulas bibonibus convenientes.

SPE-

SPECIES DIATRION SANTALON.

℞. Trium Santalorum ana unciam unam,
Rhabarbari drachmas ſex,
Hepatici rubri Dresdenſis unciam unam,
Sacchari Violati ad pondus omnium.
Miſce, fiat Pulvis.

Commendatur hoc Medicamen tanquam remedium hepaticum, ictericum, cardiacum, atque ſtomachicum. Doſis a ſcrupulo ſemis, ad ſcrupulos duos.

SPECIES PRO EPITHEMATE CORDIS ET PVLSVVM.

℞. Herbæ Anthos,
Baſilici,
Majoranæ,
Meliſſæ,
Florum Cheiri,
Tunicæ ana unciam ſemis,
Lavendulæ,
Roſarum,
Aurantiorum ana drachmas ſex,
Macis,
Nucis Moſchatæ,
Ligni Aloes,
Rhodii ana drachmas duas,
Cinamomi drachmas ſex,
Corticum Citri,
Aurantiorum ana drachmas tres.
Inciſa & contuſa groſſo modo miſce.

Uſus tempore irrorari poſſunt Oleis deſtillatis fragrantibus.

SPECIES DE GEMMIS FRIGIDÆ AVGVSTANORVM.

℞. Margaritarum præparatarum drachmas tres,
Spodii de Ebore,
Raſuræ Eboris,
Corallii utriusque ana drachmas duas,
Florum Roſarum rubrarum drachmam unam ſemis,
Hyacinthi,
Smaragdi,
Sapphiri,
Sardæ,
Granati,
Santali albi,
rubri,
citrini,
Florum Boraginis,
Bugloſſi,
Seminis Acetoſæ,
Baſilici,
Been utriusque ana drachmam unam,
Oſſis de Corde Cervi drachmam ſemis,
Foliorum Auri,
Argenti ana numero quindecim.

Vires imprimis cordiales obtinere dicuntur, hincque in febribus, anxietatibus, lipothymiis &c. commendantur. Obtinent quoque virtutem adſtringentem, unde in fluxibus alvinis deprædicantur. Doſis ad ſcrupulum ſemis, ad drachmam ſemis.

SPECIES DE HYACINTHO COMPLETÆ ET INCOMPLETÆ.

℞. Hyacinthi præparati,
Corallii rubri,
Boli Armenæ,
Terræ ſigillatæ Sileſiacæ ana drachmam unam ſemis,
Granorum Chermes,
Radicis Tormentillæ,
Dictamni albi,
Seminis Citri mundati,
Acetoſæ,
Portulacæ,
Croci,
Myrrhæ,
Roſarum rubrarum,
Santalorum omnium,
Cornu Cervi uſti,
Raſuræ Eboris ana ſcrupulos quatuor,
Sapphiri,
Smaragdi,
Topazii,
Margaritarum ana ſcrupulos duos,
Foliorum Auri numero viginti,
Argenti numero decem.

Fiat Pulvis;
Qui Completus redditur per
Ambræ veræ,
Moſchi ana ſcrupulum unum.

Si huic compoſitioni Syrupi florum Tunicæ libra una permiſceatur, fit Confectio de Hyacyntho liquida, frequenti apud nos uſu, quæ etiam completa & incompleta proſtat.

Utrique compoſitioni tum ſpeciebus tum confectioni attribuuntur virtutes cordiales, ſtomachicæ, cephalicæ, alexipharmacæ, adſtringentesque in fluxibus alvi & vomitu ſiſtendis. Doſis eſt ſpecierum ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis; confectionis a ſcrupulo uno, ad ſcrupulos quatuor. Miſcetur ſæpiſſime aliis.

SPECIES HIPPOCRATICÆ.

℞. Cinamomi uncias quatuor,
Zingiberis unciam unam ſemis,
Caryophyllorum unciam unam,
Macis drachmas tres,
Granorum Paradiſi drachmas ſex,
Galangæ,
Cardamomi ana unciam ſemis.

Inciſa & contuſa groſſo modo reſerventur uſui.

Inſerviunt pro Vino aromatico parando, quod Hippocraticum vocatur a manica Hippocratis, per quam colari ſolebat, ita autem paratur

VINUM HIPPOCRATICUM.

℞. Specierum præſcriptarum drachmas ſex,
Sacchari libram ſemis,
Vini rubri menſuram unam.

Stent in infuſione quamdiu opus, poſtea colentur per manicam Hippocratis.

Vinum eſſe ſtomachicum nemo non videt. Valet autem hic, ne quid nimis.

SPECIES

SPECIES IMPERATORIS.

℞. Cinamomi optimi drachmas decem,
Zingiberis unciam unam,
Caryophyllorum unciam ſemis,
Galangæ,
Macis,
Nucis Moſchatæ ana drachmas duas.

Miſce. Groſſo modo inciſa.

Vires obtinent cordiales, ſtomachicas atque carminativas, uſurpantur vel per ſe cuſpidatim, vel ad ſcrupulum unum, ſcrupulos duos, vel miſcentur pulveriſata tragæis, vel cum Saccharo in morſellos, quorum uſus inter acidularum aſſumptionem frequens eſt, adaptantur.

SPECIES LÆTIFICANTES RHASIS.

℞. Meliſſæ,
Corticum Citri,
Caryophyllorum,
Maſtiches,
Croci,
Cinamomi,
Nucis Moſchatæ,
Cardamomi majoris,
Been albi,
rubri,
Zedoariæ,
Doronici,
Seminis Ocimi caryophyllati,
Pæoniæ ana unciam ſemis,
Foliorum Auri numero quinquaginta,
Argenti numero viginti quinque.

Miſce. Completæ fiunt, ſi addatur
Galliæ Moſchatæ uncia ſemis,
Moſchi ſcrupulus unus.

Tribuuntur virtutes cordiales & lætitiam procurantes, cephalicæ atque ſtomachicæ. Dantur ad drachmam ſemis, drachmam unam &c.

SPECIES LIBERANTES.

℞. Radicis Tormentillæ,
Seminis Acetoſæ,
Endiviæ,
Coriandri,
Citri ana drachmam unam ſemis,
Santalorum omnium,
Dictamni albi ana drachmam unam,
Boli Armenæ præparatæ,
Terræ Lemniæ ana drachmas duas,
Margaritarum,
Corallii utriusque,
Succini albi,
Raſuræ Eboris,
Spodii ex Ebore,
Oſſis de Corde Cervi,
Been utriusque,
Doronici,
Cardamomi,
Cinamomi,
Macis,

Ligni Aloes,
Caſſiæ ligneæ,
Croci,
Zedoariæ ana drachmam ſemis,
Sacchari canti,
Penidii,
Smaragdi,
Hyacinthi,
Granati ana ſcrupulos duos,
Florum Nymphææ,
Bugloſſi,
Roſarum ana ſcrupulum unum.

Miſce. Completæ fiunt, additis Camphoræ granis ſeptem,
Moſchi,
Ambræ ana granis tribus.

Vires huic compoſitioni theriacali, tituloque ſuo forſan non admodum congruo ſuperbienti, adſcribuntur inſignes cordiales & alexipharmacæ, tum præſervativæ tum curativæ a morbis malignis, imo peſte ipſa. Doſis eſt a ſcrupulo ſemis, ad ſcrupulum unum, ſcrupulos duos.

SPECIES PECTORALES.

Vide Species Decocti pectoralis.

SPECIES POST PASTVM.

℞. Seminis Aniſi unciam unam,
Fœniculi unciam ſemis,
Carvi drachmas tres,
Coriandri præparati drachmas ſex,
Calami Aromatici,
Zingiberis,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum,
Cinamomi ana unciam ſemis,
Liquiritiæ unciam unam cum dimidia.

Inciſa & contuſa groſſo modo ſerventur.

Stomacho conducunt & ad coctionem juvandam poſt paſtum ad aliquot cultri cuſpides aſſumuntur. Frequentiſſime autem cum Saccharo in morſulos poſt paſtum dictos adaptantur, quorum uſus in cura Acidularum.

SPECIES PRO POTV INFANTVM.

℞. Raſuræ Cornu Cervi libras duas,
Eboris libram unam,
Radicis Liquiritiæ libras quatuor,
Polypodii libras duas,
Caricarum pinguium libras quinque,
Dactylorum,
Jujubarum ana libras duas ſeſemis,
Seminis Coriandri,
Fœniculi ana libram unam ſemis,
Florum Borraginis,
Bugloſſi,
Violarum ana uncias duas.

Miſce.

Doſis pro menſura liquoris uncia ſemis vel una.

SPECIES PRO POTU ORDINARIO.

℞. Siliquæ dulcis uncias tres,
Radicis Liquiritiæ,
Polypodii ana uncias quatuor,
Florum Violarum,
Boraginis ana unciam unam,
Cornu Cervi uſti libram ſemis,
Seminis Fœniculi.
Coriandri ana unciam ſemis.

Decoctum exinde factum cuilibet fere ſubjecto inſervit. Uncia una ſpecierum pro menſura una liquoris plusquam ſufficit.

SPECIES STOMOCHICO LAXATIVÆ.

℞. Diagrydii optimi unciam unam,
Florum Roſarum,
Cinamomi,
Santali albi,
citrini,
rubri,
Radicis Liquiritiæ,
Maſtiches albiſſimæ ana drachmam unam.

Permiſceantur exactiſſime.

Doſis aliquot cultri cuſpides, ad drachmam ſemis, usque ad ſcrupulos duos.

SPECIES PRO VINO ABSINTHIACO.

℞. Herbæ Abſinthii manipulos tres,
Cardui benedicti,
Scolopendrii,
Centaurii minoris ana manipulum unum,
Radicis Helenii unciam unam ſemis,
Iridis Florentinæ unciam unam,
Calami Aromatici unciam ſemis,
Corticum Aurantiorum drachmas ſex.

Miſce.

Hæ Species ſufficiunt pro ſedecim menſuris Vini, quod inſigne exinde fit ſtomachicum. Qui majorem amarorem adamat, herbarum amararum doſin adaugere poterit.

CLASSIS VIGESIMA PRIMA

SIC DICTORVM SPIRITVVM ELABORATIONEM ENARRANS.

SPIRITVS AMARVS LAXANS.

℞. Aloes unciam unam,
Agarici unciam ſemis,
Rhabarbari veri,
Radicis Gentianæ ana drachmas duas,
Myrrhæ drachmam unam ſemis,
Croci Orientalis drachmam unam,
Theriacæ Andromachi drachmas duas,
Spiritus Vini rectificati libras duas.

Miſce, extrahe lege artis, addendo ſaturatæ extractioni Theriacam, digerendo per quatuordecim dies, calore blando Solis vel fornacis, interdum vas agitando.

Commendatur tempore nebuloſo, maligno & peſtifero, præſervationis fine ad guttas viginti, triginta. Laudatur in morbis ſtomachi, cruditatibus & flatibus, ad cochlear dimidium, ad integrum & paulo ultra.

SPIRITVS ANISI.

℞. Seminis Aniſi contuſi libram ſemis,
Spiritus Vini menſuram unam.

Macerentur per octiduum, & lege artis Spiritus eliciatur.

Stomachicus eſt & carminativus. Datur ad cochlear dimidium, ad unum, ad duo.

Ita etiam fit

SPIRITVS FOENICVLI.

Easdem vires habet ac prior eodemque uſurpatur modo.

SPIRITVS APERITIVUS PENOTI.

℞. Vitrioli Ungarici ad rubedinem calcinati libras quatuor,
Silicum e fluviis collectorum optime calcinatorum,
Tartari ad albedinem calcinati ana libram unam.

Mixta, inque tenuiſſimum pulverem tuſa, liqueſcant in cella aliquantum in liquorem, quem deſtilla ex arena per alembicum, cohobaque ter, deſtillatum liquorem ſingulis vicibus, capiti mortuo in pulverem redacto, affundendo. Extremo per retortam igne aperto pelle, ſic initio lento igne primum phlegma exſtillat, poſtea vero Spiritus acidus auctiori igne elici-

licitur. Ex capite mortuo calcinato Sal commune extrahe, & cum eo (ablato prius phlegmate per Balneum) Spiritum acidum digere. Tandem cum argilla in paſtillos redige, atque ex retorta igne nudo, gradibus tamen obſervatis, Spiritum alkaliſatum provoca.

Hodie autem minori apparatu ingredientia per retortam deſtillantur & Spiritus prolectus rectificatur.

Uſus ejus inſignis eſt in obſtructione Epatis, Lienis, Meſenterii. Doſis a ſcrupulo uno, ad drachmas duas, vel tres, in vino, vel alio liquore convenienti.

SPIRITVS ARTHRITICVS PER FERMENTATIONEM PARATVS BOECLERI.

℞. Fæcum Vini menſuras viginti quatuor,
Herbæ Nicotianæ libras duodecim,
Baccarum Juniperi libras ſex,
Foliorum Origani,
Serpilli,
Roriſmarini,
Majoranæ ana manipulos ſex.

Miſce, ſtent in infuſione per aliquot dies, deinde deſtillentur per veſicam & Spiritus rectificetur.

Uſus eſt in externis doloribus artuum, doloribus iſchiadicis, in catarrhis, confortat nervos, & conducit in paralyſi, uſu externo ſe multum commendat.

SPIRITVS ARTHRITICVS RVBER HENRICI.

℞. Radicis Sarſaparillæ unciam unam,
Corticis Ligni ſancti unciam ſemis,
Herbæ Salviæ,
Anthos ana manipulum unum ſemis,
Florum Lavendulæ manipulum ſemis,
Baccarum Lauri unciam unam,
Salis Tartari drachmam unam ſemis,
Spiritus Vini rectificatiſſimi libras duas ſemis,

Stent in digeſtione, per quatuordecim dies, colatura ſervetur ad uſum.

Vires ex nomine patent.

SPIRITVS ASTHMATICVS MICHAELIS.

℞. Viridis Æris uncias quatuor,
Gum̃i Am̃oniaci uncias duas,
Sulphuris unciam unam ſemis.

Deſtillentur per retortam, dein ſeparetur Spiritus ab Oleo, rectificetur, cui imponendus nodulus Croco repletus.

Spiritus in Aſthmate uſurpandus, convenit etiam tanquam Spiritus acido volatilis in aliis affectibus pectoris humoralibus, ubi ſatis eſt reſolutivus. Datur ad guttas quinque, ad triginta, in aqua pectorali ſpirituoſa.

SPIRITUS CERASORUM NIGRORUM.

℞. Ceraſorum nigrorum quantum vis, contundantur cum nucleis, & in vaſe querno reponantur, usque dum fermentando odorem vinoſum & nonnihil acidiuſculum adquiſiverint, deinde per veſicam leni igne deſtillentur in Spiritum, qui, ſi opus fuerit, rectificetur.

Habetur cephalicus, antaſthmaticus, ſtomachicus atque carminativus, ſumitur cochleatim. Externe valet in aphonia & paralyſi linguæ.

Hac ratione deſtillantur etiam

SPIRITUS FRAGORUM.

Qui cordialis, cephalicus, & diureticus habetur.

SPIRITUS SAMBUCI EX BACCIS.

Qui habetur alexipharmacus & diaphoreticus.

SPIRITUS COCHLEARIÆ PER FERMENTATIONEM PARATUS.

℞. Cochleariæ recentis quantum placet, contunde in mortario marmoreo, eamque vaſi convenienti inditam aqua vix ſubtepida, vel quod melius, proprio ſucco crudo irrora, in quo tantillum fermenti cereviſiæ ſolutum eſt, conſpergeque raro Sale, hæc ubi probe remixta ſunt, reponantur vaſe clauſo in locum ſubterraneum, usque dum odorem acriorem ſpirant, quo obſervato deſtillentur.

Commendatur tanquam inſigne remedium antiſcorbuticum, vim quoque obtinet diureticam, ſtomachicam atque carminativam. Exhibetur ad guttas decem, viginti, triginta &c. Externe convenit in ſcorbuto oris & gingivarum exulceratione.

SPIRITUS CORNU CERVI UT ET EJUSDEM SAL VOLATILE.

Cornua Cervi ponderoſa conſcindantur in fruſta, quæ retortæ loricatæ indita, igne aperto per gradus accenſo, in recipiens vas amplum deſtillentur, usque dum nebulæ in eo comparere deſinant. Sal collo retortæ adhærens, & liquor in vaſe recipiente una cum Sale volatili collectus, cum parte aliqua Spiritus Vini, quo prius recipiens eluatur, miſceantur, & per filtrum antea humefactum ab Oleo ſeparentur; poſtea in præalta phiola additis cineribus, lento igne in Sal depuratum ſublimando reducantur; quod vel ſeorſim, vel cum ſubſequente tandem Spiritu, ſive Phlegmate ſalino conjunctim adſervandum. Oleum itidem in uſus externos, cum cineribus mixtum rectificari per retortam poterit. Caput mortuum etiam ulteriori calcinatione ad albedinem deductum, Cornu Cervi uſtum ſuppeditat.

Spiritus

Spiritus & Sal volatile ſunt medicamen penetrantisſimum alexipharmacum, cephalicum, uterinum, antapoplecticum, antepilepticum & antaſthmaticum, Spiritus exhibetur ad guttas quinque, decem, viginti & ultra; Sal autem volatile ſiccum ad grana tria, quinque, decem &c. porrigitur.

SPIRITUS FORMICARUM AUGUSTANORUM.

Colliguntur ſcilicet Formicæ menſe Junio aut Julio in ollam, in qua fruſtum caſei repoſitum eſt, ubi ſufficiens copia adeſt, baculo acuto eximitur caſeus, & ſuperfunditur Spiritus Vini ad trium digitorum eminentiam, ac deſtillatur.

Vocatur Spiritus prolectus etiam Aqua Magnanimitatis, quoniam uſu interno per cochlearia aſſumptus viros facit & dormientia excitat genitalia. Valet inſuper ad cerebrum confortandum & memoriam, commendatur in apoplexia, vertigine, affectibusque ſoporoſis. Externe additur aquis articularibus, antiparalyticis, in malo iſchiadico prodeſt. Convenit etiam in tinnitu aurium & auditus difficultate, vel inſtillatus, vel cum bombace adhibitus.

SPIRITUS JUNIPERI.

Baccæ Juniperi probe contundantur, & cum aqua tepida, in qua portio aliqua fermenti, vel Sacchari &c. ſoluta fuerit, diluantur, hinc ad fermentandum reponantur; qua peracta, deſtillatio inſtituatur.

Remedium eſt ſtomachicum, aperiens & diureticum, a calculo quoque præſervare dicitur. Adhibetur cochleatim, externe in affectibus colicis, ventriculo frigido, affectibus renum prodeſt.

SPIRITUS LAVENDULÆ.

℞. Florum Lavendulæ quantum placet, ſuperinfundatur Spiritus Vini ad eminentiam quatuor digitorum: macerentur deinde, & Spiritus lege artis evocetur.

Cephalicus eſt atque ſtomachicus, rarius autem interne uſurpatur, externe in membris paralyticis confortandis, in ſugillationibus diſcutiendis & doloribus rheumaticis prodeſt.

SPIRITUS LIGNI QUAJACI CUM OLEO.

℞. Ligni Quajaci raſpati aut raſuræ hujus Ligni quantum ſufficit, immitte in retortam, ita ut tertia vel quarta pars circiter vacua remaneat, immittatur retorta furno reverberii & applicetur vas recipiens amplum: Inchoetur deſtillatio leni igne, quo retorta

calefiat & phlegma propellatur. Ubi nullæ guttæ amplius prodeunt, phlegma extillatum ex recipiente effundatur & ſeorſim ſervetur. Recipiens denuo applicatum lutetur optime ignisque gradatim augeatur, ſic prodibunt Spiritus & Oleum ſub forma nebularum. Continuandus ignis, donec nihil amplius egrediatur, refrigeratis vaſis delutentur & quicquid in recipiens extillavit, filtretur per chartam bibulam aqua prius madefactam, ſic tranſibit Spiritus remanente in filtro Oleo craſſo, nigro atque fœtido. Spiritus rectificari poterit deſtillando per retortam, quo liberetur ab impuritatibus admixtis.

Spiritus hic in quo acidum prædominatur, ſudorem atque urinam ciet, doſis eſt ad guttas viginti quinque, quadraginta, ſexaginta & ultra. Oleum vel absque rectificatione aſſervatur, vel rectificatur ſupra arenam, cineres aut oſſa calcinata, per os non aſſumitur, ob ingratum & fœtidum ſaporem, ſed commodiſſime ad uſus externos, ac feliciſſime ad ulcerum omne genus uſurpatur, nominatim venereorum, vulnerum mundificationem, fungoſarum carnium conſumptionem, ſicuti & oſſium exſquammationem, imo ad illorum cariem. Ad dentes quoque dolentes optimo cum ſucceſſu adhibetur, particulis enim oleoſis aëri aditus præcluditur, particulis vero ſalinis acribus ſerum ſtagnans corrigitur fluxileque redditur. Ex capite mortuo & pauliſper adhuc calcinato lege artis Sal extrahi poteſt.

SPIRITVS LILIORVM CONVALLIVM CVM SPIRITV VINI.

Paratur ut Spiritus Lavendulæ.

Eſt confortans memoriam, externe autem utplurimum uſurpatur, ad contuſiones, luxationes, dolores & affectus nervorum ſic dictos frigidos, ut & ad odontalgiam per nares attractus.

SPIRITVS ET SAL VOLATILE LVMBRICORVM

Spiritus fit ut Spiritus Formicarum, Sal volatile autem ſequenti modo:

℞. Lumbricorum terreſtrium exſiccatorum ſufficientem quantitatem. Ex retorta luto incruſtata, igne aperto, per gradus adhibito, deſtillentur; liquor prolectus cum Sale in eo ſoluto, addita Spiritus Vini particula, ab Oleo per chartam emporeticam, prius aqua humefactam, ſeparetur, & rectificetur.

Spi-

Spiritus & Salis uſus eſt diaphoreticus & diureticus, arthriticis imprimis, tam interne quam externe, commendatur. Laudatur quoque in rheumatismis, contuſionibus, luxationibus atque paralyſi. Spiritus adhibetur per os ad guttas decem, viginti & ultra. Sal autem volatile ad grana tria, ad decem.

SPIRITVS MASTICHINVS CVM SPIRITV VINI.

℞. Maſtiches electæ uncias duas,
Spiritus Vini rectificatiſſimi libram unam.

Digere per quatuordecim dies, poſtea affunde aquæ fontanæ anaticam portionem & deſtilla. Primo prodit Spiritus, deinde ſequitur aqua, quæ nullius uſus, Spiritus rectificatur & ſervatur.

Prodeſt in imbecillitate Ventriculi, in cruditatibus & doloribus colicis. Doſis guttæ viginti, triginta & ultra.

SPIRITVS MATRICALIS.

℞. Maſtiches,
Myrrhæ,
Thuris,
Succini ana partes æquales,
Spiritus Vini quantum ſufficit.

Deſtilla & ſerva.

Commendatur in uteri morbis, præſertim paſſione hyſterica, datur cochleatim.

SPIRITVS MELLIS.

℞. Mellis puri libras duas,
Arenæ mundæ libram unam.

Miſceantur, & ex retorta, calore arenæ, igne per gradus adminiſtrato, fiat deſtillatio; liquor prolectus ab Oleo ſeparetur, atque in arena rectificetur, phlegmate primo prodeunte, & dein Spiritu ſubſequente.

Interne habetur aperitivus & diureticus, datur in Julapiis ad gratam aciditatem. Externe in capillis producendis & flavedine tingendis celebratur.

SPIRITVS NEPHRITICVS PARISIENSIS ſive EAV DE JOVRDAIN.

℞. Turbith gummoſi uncias duas,
Maſtiches,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ,
Galangæ,
Cubebarum,
Cinamomi ana unciam unam,
Ligni Aloes unciam ſemis,
Terebinthinæ Venetæ uncias tres,
Mellis crudi uncias quatuor,
Pulpæ Caſſiæ unciam unam ſemis,
Granorum Berberum,
Baccarum Aquifolii,
Ruſci,

Hederæ arboreæ ana numero ſexaginta,
Fructuum Cynosbatos exacinatorum numero triginta,
Millepedum,
Florum Lavendulæ,
Virgæ aureæ ſeu Conſolidæ Saracenicæ,
Saxifragiæ ana unciam unam,
Cancrorum fluviatilium numero duodecim,
Spiritus Vini libras ſex.

Inciſa & contuſa infundantur per octo dies, poſtea fiat deſtillatio.

Huic in doloribus nephriticis ſedandis, arenulis calculisque & urina expellendis, ut & calculi generatione impedienda multum laudis attribuunt. Ubivis autem locum non poſſe habere, facile patet. Datur ad cochlear dimidium, ad duo, in vehiculo.

SPIRITVS NITRI ACIDVS.

℞. Salis Petræ ſive Nitri depurati libram unam,
Boli communis libras tres.

Exacte invicem permiſceantur, & ſi libet, in globulos cum aqua redigantur, qui ſiccati ex retorta loricata, tertia ejus parte vacua relicta, in vas amplum recipiens, igne per gradus aucto, deſtillentur, usque dum inſignis rubedo in recipiente diminuatur, & nulli amplius Spiritus prodeant.

Inſervit pro menſtruo corroſivo.

SPIRITVS NITRI DVLCIS.

Spiritus hic, cum æquali parte Spiritus Vini rectificatiſſimi mixtus & deſtillatus, dicitur Spiritus Nitri dulcis. Nota quod hi Spiritus invicem debent digeri & deſtillari.

Stomachicus eſt & carminativus, colicæque medetur, unde etjam vocatur Spiritus anticolicus. Conducit etiam in paſſionibus hyſtericis & virtutem quoque diureticam poſſidet. Doſis eſt ad guttas quatuor, viginti & ultra.

SPIRITVS ROSARVM CVM SIPRITV VINI.

Paratur ut Spiritus Lavendulæ.

SPIRITVS ROSARVM PER FERMENTATIONEM.

℞. Florum Roſarum fragrantium quantum libet.

Adfuſa ſufficiente quantitate aquæ fontanæ & addito fermento, fiat deſtillatio per veſicam, deſtillatum Spiritum novis Roſis fermentatis toties adfundendo & deſtillando, donec ſatis fortem Spiritum habueris.

Vires

Vires ſtomachicas atque cordiales, interne & externe, obtinet. Datur ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis, ad drachmas duas, in vehiculo. Sexui ſequiori ob fragrantiam utplurimum adverſus.

SPIRITUS SALIS ARMONIACI ANISATUS.

℞. Seminis Aniſi uncias tres,
Cinerum clavellatorum in aquæ fontanæ quantitate non nimis larga ſolutorum libram unam.

Poſt aliquam digeſtionem adde Salis Ammoniaci optime pulveriſati uncias ſex,
Spiritus Vini ſimplicis libras duas.

Lento igne in arena Spiritum deſtillando prolice.

Uſus ejus in pectoris affectibus demulcendis, præſertim qui cauſam viſcidam agnoſcunt, unde in aſthmate pituitoſo & affectibus a flatibus oriundis conducit, flatus nempe egregie diſcutit. Doſis pro ratione ætatis ad guttas quinque, quindecim, triginta & ultra.

SPIRITUS SALIS ARMONIACI CUM CALCE VIVA.

℞. Salis Armoniaci libram unam,
Calcis vivæ libras duas.

Pulveriſentur ſeparatim, permiſceantur ac prompta manu immittantur in cucurbitam, ut media pars vacua remaneat, poſtea affundatur libra una Spiritus Vini phlegmatici, & deinde fiat lege artis deſtillatio in Spiritum urinoſum fugaciſſimum, qui deſtruit omnia acida.

Nephriticus eſt & calculum præcavet, reſolvit maſſam ſanguineam fluidamque reddit ac tenuem, unde in apoplexia, epilepſia, ſpasmo convenit. Eſt quoque remedium ſudoriferum & antifebrile. In ſuffocatione uterina tam interne exhibitus, quam naribus admotus laudabilem edit effectum. In affectibus chronicis ſpleneticis, ſcorbuto, malo hypochondriaco, datur ad guttas decem, triginta & ultra. Externe inſervit ad menſium obſtructionem per certum inſtrumentum admiſſus, dolores quoque podagricos & arthriticos lenit, inſervit aliis tanquam inſigne præcipitans ſolutorum in acidis.

SPIRITUS SALIS ARMONIACI CUM CINERIBUS CLAVELLATIS.

Fit procedendo eodem modo ac dictum de Spiritu Salis Armoniaci cum Calce viva, excepto quod hic recipiantur loco Calcis Cineres clavellati, ſed non tam penetrans eſt.

Easdem fere interim obtinet vires & pro uſu interno magis adhibetur.

SPIRITUS SALIS ARMONIACI SUCCINATUS.

Fit ut Spiritus Salis Armoniaci aniſatus.

Remedium nobile cephalicum,

nervinum & antepilepticum, datur ad guttas decem, viginti, triginta &c.

SPIRITUS SALIS ACIDUS ET DULCIS.

℞. Salis communis decrepitati libras duas,
Terræ figulinæ libras ſex.

Miſceantur exacte & cum aqua globuli exin formentur, (quamvis etiam ſola mixtura ſufficere poſſit) qui exſiccati retortæ luto obductæ indantur, tertiam ejus partem vacuam relinquendo; poſtea igne gradatim adhibito, in vas recipiens amplum deſtillatio inſtituatur, quousque nulli amplius Spiritus, ſub nebularum forma comparentes egrediantur. Liquor deſtillatus a phlegmate ſi opus fuerit rectificetur.

Spiritus hic, ſi cum Spiritus Vini æquali quantitate miſceatur & aliquandiu digeratur poſtmodum deſtilletur, nomen impetrat. Spiritus Salis dulcis, ob mitigatam ſic ejus acrimoniam facilius exhibendus.

Spiritus Salis ſimplex obtinet quidem virtutem aperientem & diureticam, appetitum reſtaurat & in hydrope commendatur, aſt ob aciditatem in corpus vix aſſumitur, quapropter Spiritus Salis dulcis potius in uſum venit, qui admodum ſuavis & ad modo dictos affectus deprædicatur. Doſis guttæ decem, ad quindecim, viginti &c.

SPIRITUS SAMBUCI EX FLORIBUS PER FERMENTATIONEM.

Eodem modo ac Spiritus Roſarum parari poteſt.

Vires obtinet diſcutientes & diaphoreticas, interne & externe. Datur interne ad guttas decem, triginta & ultra.

SPIRITUS SAMBUCI EX BACCIS.

Paratur ut Spiritus Ceraſorum nigrorum.

Vires obtinet diaphoreticas.

SPIRITUS SUCCINI VOLATILIS CUM OLEO ATQUE SALE VOLATILI.

℞. Succini flavi groſſo modo pulveriſati quantitatem ſufficientem.

Immitte retortæ vitreæ ita ut tertia pars vacua remaneat, hanc impone arenæ & adplicato vaſe recipiente lutatisque juncturis deſtilla, ſic primo phlegma prodit, poſtmodum Spiritus & tandem vehementiſſimo adhibito igne Oleum flavum & rubrum, una cum Sale volatili, quæ ab invicem ſeparari debent, Spiritum hunc cum Sale volatili immitte cucurbitæ & humiditatis maximam partem evoca, quem inſequetur Sal volatile concretum ſub forma ſicca alembico adhærens, quod ſi non ſatis depuratum ſit, ulterius repurgari poteſt.

Oleum

Oleum deinde cum cineribus adhuc rectificari poterit: ſic prodibit primo Oleum limpidum, album dictum, ſeorſim aſſervandum, ſubſequetur alterum coloratius flavum appellatum. Ex capite mortuo ulteriori igne elici poterit Oleum nigricans fœtidum.

Sal volatile ad naturam Salium eſſentialium quam proxime accedens multi uſus eſt ad affectus cephalicos & nervinos, apoplexiam, lethargum, vertiginem, morbosque catarrhales. Doſis eſt ad grana ſex, ſcrupulum ſemis & paulo ultra; Spiritus quoque ad eosdem affectus ad guttas quatuor, decem &c. uſurpari poteſt. Magis tamen externe uſurpatur ad aurium affectus, tinnitum, ſuſurrationem aliosque. Oleum Succini album & flavum egregium ſunt remedium interne & externe in affectibus nervorum & capitis, paralyſi, apoplexia & ſimilibus. Ictericis prodeſt, convenit iſchuria & gonorrhœa laborantibus. Doſis eſt ad guttas quatuor, ad ſcrupulum unum. Oleum nigrum admoveri poteſt naribus & umbilico in paſſione hyſterica, membra quoque paralytica eo foventur.

SPIRITUS SULPHURIS PER CAMPANAM.

Ponatur tempore pluvioſo exiſtente, ſub campana vitrea, (cujus etiam interior pars aqua humectari poteſt, pro faciliori Spirituum in liquorem reſolutione,) vas aliquod terreum cum Sulphure, quod accendatur: ita vero vas illud ſubjectum ad campanam adplicetur, ut fumi egredientes flammam non ſuffocent, ſed libere aſcendentes in liquorem coagulentur, qui in vitro vel patina ſuppoſita colligatur.

Refrigerat ſitimque ſedat & ebullitionem maſſæ ſanguineæ mitigat, hinc in febribus continuis & ardentibus laudatur, vi quoque diuretica gaudet. Spiritus hic gratior Spiritu Vitrioli, admiſcetur præprimis Julapiis ad aliquot guttas vel gratam aciditatem.

SPIRITUS TARTARI.

℞. Tartari albi puri & craſſe contuſi quantum libuerit, immitte in retortam, tertiam ejus partem vacuam relinquendo, eique igni aperto expoſitæ recipientem ſatis capacem adapta & bene luta, dato primum igne per gradus, deinde paulatim intendendo, usque dum Spiritus nebularum forma cum Oleo egreſſi fuerint, quæ ab invicem ſeparari & ſuper cineres rectificari debent.

Spiritus, qui merito rectificandus, ut quoad partem fœtorem deponat, quoad partem etiam penetrantior evadat, incidit, attenuat,

reſolvit, obſtructiones reſerat, ſudores ciet atque urinam movet. In menſibus retentis, paralyſi, ictero, hydrope convenit. Doſis eſt ad ſcrupulum unum, ad drachmam unam. Oleum nigrum, craſſum atque fœtidum, cum rariſsime interius, vel nunquam uſurpetur, rectificatione non adeo habet opus, Unguentis ad ſcabiem additur, tumores duros reſolvit, dolores artuum contumaces valida frictione inunctum mitigat, membris paralyticis inſervit, egregium eſt vulnerarium, mundificandi vi præditum. Mulierum hyſtericarum naribus admovetur,

SPIRITUS TEREBINTHINÆ.

℞. Terebinthinæ pellucidæ quantum volueris.

Deſtilletur lento igne, prodibit præter phlegma acidulum, primo Oleum album, quod Spiritus nomine vulgo donatur, poſtea flavum, & ultimo rubrum, quod fortiori igne erit extrahendum, hæc Olea ſeparata reſerva; rubrum in arena poteſt rectificari,

Spiritus Terebinthinæ abſtergit, urinam & calculum pellit, ulcera mundificat &c. unde frequentiſſime in gonorrhœa virulenta adhibetur. Externe vulnerarius eſt atque balſamicus, valet imprimis contra frigus hyemale mammarum aliarumque partium, quas inunctus præſervat & læſas curat. Per os propinatur ad guttas decem, viginti & ultra. Oleum præprimis confert membris frigore læſis.

SPIRITUS THERIACALIS CAMPHORATUS.

℞. Spiritus Vini optime rectificati uncias decem,
Theriacæ Andromachi veteris uncias quinque,
Myrrhæ rubræ uncias duas ſemis,
Croci Auſtriaci unciam ſemis.

Poſt peractam octiduanam digeſtionem, fiat Spiritus deſtillatio, imponendo alembici roſtro Camphoræ drachmas duas.

Virtutes adſcribuntur diaphoreticæ & alexipharmacæ, incidentes & attenuantes tenuitateque ſubſtantiæ univerſum corpus ſine moleſtia penetrantes. Cordialium in numero locum habet, dominante peſtilente contagio prodeſt in actu curationis ad drachmas duas, in actu præſervationis ad drachmam ſemis, ſumtus cum vino generoſo.

SPIRITUS DE TRIBUS SEU MIXTURA SIMPLEX.

℞. Spiritus Theriacalis absque Camphora uncias quinque,
Tartari rectificati uncias tres,
Vitrioli boni unciam unam.

Miſceantur & digerantur aliquandiu in vitro bene clauſo & poſtea rectificentur. *Hujus*

Hujus remedii Author eſt Paracelſus, a Graſeccio Medico noſtrate appellatum fuit Mixtura Simplex. Vires habet incidendi, attenuandi, tenuitateque ſubſtantiæ per totum corpus absque moleſtia penetrandi. Commendatur in epilepſia, pleuritide, obſtructionibus viſcerum, affectibus hypochondriacis & melancholicis, imprimis in febribus ardentibus & malignis auxiliares præſtat operas, earum materiam diſſipat & per diaphoreſin a centro ad ſuperficiem pellit & abſumit, inde & diaphoreticum in peracutis a Paracelſo dictum. Doſis eſt ad ſcrupulum, ad ſcrupulos duos, in vehiculo appropriato.

SPIRITVS TRIFOLII FIBRINI.

Eodem modo parari poteſt ac Spiritus Cochleariæ.

Antiſcorbuticus eſt egregius.

SPIRITVS URINÆ.

℞. Urinam hominis ſani maſculi impolluti quantum vis.

Stet in vaſe terreo per dies viginti, donec incipit fœtere. Quod clarum eſt a fecibus decanta & impone in cucurbitam magnam cum alembico & in vas recipiens amplius deſtilla ex arena, lento igne ad medietatem. Cave ab igne fortiori, ne in ſpumas agitata maſſa alembicum tranſcendat, ſi forte fortuna contigerit, ignis amovetur & alembicus, mox ſedatur tumultus. Deſtillatum ſecunda vice rectificatur per cohobia a capite mortuo eo gradu ignis, ne alembicus incaleſcat. Tranſit Spiritus & Sal in alembico concreſcit. Si calor intendatur liqueſcit Sal & reliquum cum Spiritu miſcendum, qua encheireſi etiam Sal alias in auras evaporabile ſervatur.

Aperit, reſerat obſtructiones, calculum atterit, doſis ad guttas quinque, ad decem & ultra.

SPIRITVS VENERIS.

℞. Viridis Æris quantum vis.

Irroretur Aceto deſtillato, poſtea autem ex retorta fiat deſtillatio.

Commendatur quidem ab aliquibus in capitis affectibus, ad guttas decem & ultra, ſed potiſſimum uſurpatur tanquam menſtruum ad ſolvenda Corallia, Perlas &c. ingreditur Theriacam cœleſtem.

SPIRITVS VINI RECTIFICATVS ET RECTIFICATISSIMVS.

Nihil aliud eſt quam Spiritus Vini a phlegmate magis minusve liberatus, per repetitam deſtillationem per machinam ex cupro, ſtanno probe obducto, conflatam & a variis circumvolutionibus ſerpentinam dictam, aut per phiolam colli admodum longi & anguſti: ubi, igne ſecundum artem adhibito, primo loco prodit Spiritus Vini rectificatiſſimus, altero vero rectificatus, remanente in vaſe de-

ſtillatorio phlegmate. Notas Spiritus Vini dephlegmati atque alkoholiſati tradunt eſſe, quando accenſus totus deflagrat, quando pulveri pyrio affuſus atque accenſus deflagrando ipſum quoque accendit, & quando Oleo Amygdalarum innatat, dum communis ſubſidere ſolet.

Longe præſtantiores ſunt hi Spiritus quam Spiritus Vini ſimplex, ad morbos ſtomachi & capitis, imprimis affectus ſoporoſos, in minore autem quantitate exhibentur. Externe ad ambuſta, ſugillata, luxationes, dolores arthriticos atque rheumaticos valent, ut & ad hæmorrhagias. Imprimis autem adhibentur ad Eſſentias, Tincturas, Elixyria paranda.

SPIRITVS VINI CAMPHORATVS.

℞. Camphoræ unciam unam ſemis,
Spiritus Vini rectificatiſſimi libram unam.

Stent in digeſtione, paucarum horarum ſpatio ſoluta Camphora Spiritus Vini impprægnatur.

Vires habet diaphoreticas, cephalicas, cordiales, alexipharmacas, antiarthriticas, exhibitis guttis ſex, ad viginti & ultra. Utplurimum externe ſolummodo uſurpatur, in contuſionibus, luxationibus, rheumatismis & ubi diſcuſſione opus eſt.

SPIRITVS VINI TARTARISATVS.

Salis Tartari libram unam, cucurbitæ vitreæ admodum altæ inde: Huic Spiritus Vini libras quatuor affunde: Arenæ vas imponito idque capitello, cui adaptatum fuerit recipiens, obtegito, veſica madefacta commiſſuras accurate lutato, gradatim ignem ſubtus accendito, quem donec aſcenderint tres quartæ Spiritus Vini partes continuato, ignem tunc extinguito, ac Spiritum illum in probe obturata phiala ſervato.

Iisdem viribus pollet ac Spiritus Vini rectificatiſſimus, ſed ſubtilior eſt. Exhibetur a drachma dimidia, ad drachmas duas, in liquore conveniente. Utplurimum tamen uſurpatur pro menſtruo, ad extrahendas Eſſentias ac Tincturas.

SPIRITVS VITRIOLI.

Fit ex Vitriolo calcinato, per deſtillationem ex Retorta terrea bene lutata, igne reverberii.

Spiritus Vitrioli pro uſu interno vix uſurpatur, niſi in Julapiis ad aliquot guttas, vel ad gratam aciditatem pro ſiti & æſtu ſedandis, alias pro menſtruo corroſivo inſervit.

CLAS-

CLASSIS VIGESIMA SECUNDA

SYRUPOS RECENSENS.

SYRUPUS DE ABSINTHIO AUGUSTANORUM.

℞. Abſinthii Pontici ſeu Romani libram ſemis,
Roſarum rubrarum uncias duas,
Spicæ Indicæ drachmas tres,
Succi Cydoniorum libras tres & uncias quatuor,
Macerentur in vaſe fictili horis viginti quatuor, deinde decoquantur, exprimantur & colaturæ addantur
Sacchari libræ duæ.
Fiat, ut eſt artis, Syrupus.

Viſcerum confortationi, imprimis autem ſtomacho dicatus, appetitum excitat, concoctionem juvat, flatus pellit. Dari poteſt ad unum alterumque cochleare, vel per ſe, quod tamen ob amaritiem plurimi detrectant, vel cum vino. Ut plurimum electuariis ſtomachicis & febrifugis, ſi propter palatum licet, jungitur.

Proſtat &

SYRUPUS DE ABSINTHIO SIMPLEX.

Ex decoctione Abſinthii cum Saccharo paratus.

SYRUPUS FLORUM ACACIARUM.

Paratur ex infuſione florum, ad normam Syrupi Roſati laxativi Simplicis.

Pro ſcopo laxandi & tenue ſerum expurgandi commendatur, a quibusdam etiam vires antepilepticæ & anthelminticæ ei adſcribuntur. Exhibetur imprimis infantibus.

SYRUPUS ACETOSÆ.

℞. Succi Acetoſæ depurati libras duas,
Sacchari libras quatuor.

Coquantur ad Syrupi conſiſtentiam.

Sitim ſedat & refrigerat bilemque temperat. Conducit in ipſis febribus etiam ardentibus, admixtus potiunculis Julapiisque.

SYRUPUS ACETOSELLÆ.

Eodem modo quo præcedens præparatur.

Eædem vires ac priori adſcribuntur, qui inſuper cordialis quoque habetur.

SYRVPVS ACETOSITATIS CITRI.

℞. Succi Pomorum Citriorum depurati libram unam ſemis,
Sacchari albiſſimi libras tres.
Fiat ſecundum artem Syrupus.

Gratus eſt Syrupus, refrigerans, ſitim ſedans, bilem refrænans, putredinem arcens & vermibus reſiſtens.

SYRVPVS AGRESTÆ.

℞. Omphacii depurati ſeu Agreſtæ vel ſucci ex Uvis immaturis expreſſi,
Sacchari clarificati ana libras tres.
Coquantur in Syrupum.

Refrigerat, ſiccat, adſtringit, vomitum ſiſtit, ventriculum roborat, bilem temperat, ſitim ſedat, appetitum excitat, putredinique reſiſtit. Doſis ad unciam ſemis, ad unciam unam cum dimidia.

SYRVPVS ALTHÆÆ SIMPLEX EX RADICE.

℞. Decocti Radicum Althææ libram unam ſemis,
Sacchari libras tres.
Coquantur ad Syrupi conſiſtentiam.

Ob vim demulcentem convenit in affectibus colicis, nephriticis atque pectoris, præſertim etiam ubi acrimonia humorum peccat.

SYRVPVS ALTHÆÆ FERNELII CORRECTVS.

℞. Radicis Althææ uncias duas,
Graminis,
Aſparagi,
Glycyrrhizæ,
Uvarum paſſarum mundatarum ana unciam ſemis,
Cicerum rubrorum unciam unam,
Cymarum Altheæ,
Malvæ,
Helxines ſive Parietariæ,
Pimpinellæ,
Plantaginis,
Adianthi albi,
nigri ana manipulum unum.

Inciſa coquantur ex aquæ libris novem, usque dum quatuor ſuperſint, deinde cum Sacchari albi libris quatuor, fiat ex arte Syrupus.

Urinæ ardorem demulcet, viſcidam & obſtruentem renum ſaburram expurgat & in doloribus a calculo prodeſt. Sumitur cochleatim ad unum aut alterum cochlear, vel aliis etiam commiſcetur. Conducit quoque in tuſſi, aſthmate, pleuritide, catharrhis ſalſis, acribus ac tenuibus.

SYRVPVS ARTEMISIÆ AVGVSTANORVM.

℞. Herbæ Artemiſiæ manipulos duos,
Pulegii,
Meliſſophylli,
Dictamni Cretici,
Sabinæ ana manipulum unum,
Florum

Florum Hyperici manipulum ſemis,
Radicis Rubiæ,
Ruſci ana uncias duas,
Seminis Nigellæ unciam ſemis,
Caſſiæ ligneæ unciam unam,
Sacchari albi libras duas.

Coquantur cum aquæ fontanæ libris quinque ſecundum artem in Syrupum.

Menſium obſtructionibus, uteri ſuffocationibus & partui difficili medetur, communiter aliis miſcetur remediis uterinis.

SYRVPVS FLORVM BELLIDIS.

℞. Florum Bellidis minoris libram unam ſemis,
Macerentur in aquæ fontanæ libris duabus, per viginti quatuor horas, poſtea exprimantur, & cum
Sacchari albi libra una
coquendo, & albumine ovi clarificando fiat Syrupus.

Convenit in morbis pectoris & ejus vulneribus, & ſanguine coagulato reſolvendo, in tuſſi quoque & aſthmate laudatur.

SYRVPVS BERBERVM.

℞. Succi Berberum depurati libras duas,
Sacchari libras quatuor.

Fiat ex arte Syrupus.

Grata ſua aciditate ſitim ſedat & æſtum refrænat, bilemque reprimit, commiſcetur vel potiunculis vel Julapiis.

SYRVPVS BETONICÆ.

℞. Succi Betonicæ depurati libram ſemis.
Sacchari clarificati libram unam.

Coquendo fiat Syrupus.

Cum Betonica capiti ſit dicata, hic Syrupus ad morbos capitis vulgo prædicatur.

SYRVPVS BORRAGINIS.

℞. Infuſionis Florum Borraginis ſaturatæ libram unam,
Sacchari libras duas.

Coquantur ad conſiſtentiam Syrupi.

Huic Syrupo vires cordiales, lætitiam conciliantes, antimelancholicæ & antimaniacæ, ex quorundam opinione adſcribuntur.

SYRVPVS BRASSICÆ RVBRÆ.

℞. Succi Braſſicæ rubræ libram unam,
Sacchari albiſſimi libras duas.

Coquantur lege artis in Syrupum.

Commendatur hic Syrupus in affectibus pectoris, tuſſi præſertim, atque aſthmate.

SYRVPVS BVGLOSSÆ.

Paratur eodem modo ac Syrupus Borraginis.

Et iisdem quoque præditus eſſe viribus cenſetur.

SYRVPVS CAPILLORVM VENERIS.

℞. Capillorum Veneris uncias quatuor.

Macerentur in libris ſex aquæ,per tempus,colaturæ addendo Sacchari libras ſex.

Fiat, ut artis eſt,Syrupus qui pro lubitu poteſt infici odore florum Aurantiorum.

In pectoris morbis,tuſſi,aſthmate, raucedine, pleuritide item commendatur, expectorationem promovet, admiſcetur remediis becchicis. Sæpiſſime etiam in infuſo Thee jucunditatis gratia aſſumitur loco Sacchari.

SYRVPVS CARDVI BENEDICTI.

℞. Succi Cardui benedicti depurati,
Sacchari clarificati ana libras duas.

Fiat coctione Syrupus.

Hunc Syrupum plebs & mulierculæ magni faciunt in ſtomacho vitiato, in cruditatibus, & in appetitu proſtrato, utuntur quoque eo poſt contractam iram & ad colicam: Commendant porro illum ad vermes enecandos,putredinemque arcendam, hinc in pleuritide, febribus malignis & peſtilentialibus laudant. Doſis a cochleari uno, ad duo vel tria.

SYRVPVS CERASORVM ACIDORVM.

℞. Succi Ceraſorum acidorum per reſidentiam defæcati,
Sacchari clarificati ana libras tres.

Fiat Syrupus.

Syrupus hic gratiſſimus mixturis julapiisque miſceri poteſt, pro extinguenda ſiti, bile domanda & æſtu extinguendo,unde & vires cordiales eidem adſcribuntur.

SYRVPVS CHAMOMILLÆ.

Præparatur ex florum infuſione, uti antecedens de Borragine.

Commendatur in doloribus colicis, iliacis, nephriticis & uterinis, tum a flatibus,tum aliis cauſis oriundis, præſertim in doloribus abdominis ſpasmodicis infantum, quare etiam ingreditur Aquam ad tormina infantum.

SYRVPVS CHERMES.

℞. Succi granorum Kermes maturorum libram unam,
Sacchari albi uncias quatuor.

Coquantur ex arte in Syrupum.

Vires cordiales & alexipharmacas obtinet, abortum quoque præcavet, in hæmorrhagiis conducit. Datur ad unciam unam ſemis usque.

SYRVPVS DE CICHORIO CVM RHABARBARO.

℞. Radicis Cichorii uncias ſex,
Taraxaci,
Apii ana uncias duas,
Herbæ & florum Cichorii manipulos quatuor.

De-

Decoquantur in quantitate ſufficiente aquæ, in colaturæ libris ſex infundantur Rhabarbari optimi unciæ octo, poſtea ebulliant invicem, tandem colatura coquatur cum decem libris Sacchari ad conſiſtentiam Syrupi.

Syrupus hic laxat & bilem evacuare creditur, ipſis etiam infantibus exhiberi poteſt ad humores vitioſos educendos, in ipſis etiam torminibus infantum & exinde ortis convulſionibus epilepticis, ad ſcorias bilioſas acres educendas utilis. Doſis a drachmis duabus, ad uncias duas.

SYRVPVS DE CICHORIO SIMPLEX.

℞. Succi Cichorii depurati libram unam ſemis,
Sacchari clarificati libras tres.

Coquantur in Syrupum.

Commendatur ad bilis acrimoniam temperandam, ad refrigerandum & humectandum.

SYRVPVS CINAMOMI AVGVSTANORVM.

℞. Cinamomi optimi craſſiuſcule pulveriſati uncias quinque,

Ponantur in cucurbitam vitream, addanturque

Aquæ Cinamomi optimæ cum vino deſtillatæ libræ duæ,
Aquæ Roſarum odoratiſſimæ unciæ duæ.

Stent in loco calido, bene obturato vaſe, nequid exſpiret, horis viginti quatuor; deinde filtrentur, atque cum Sacchari albiſſimi clarificati ſufficiente quantitate fiat Syrupus.

Delicatus hic ſed & pretioſus Syrupus viribus pollet cordialibus atque ſtomachicis, in ventriculo præſertim languido ac frigido emendando, coctioneque promovenda, ſicuti quoque oris halitum emendat.

SYRVPVS COCHLEARIÆ.

℞. Succi Cochleariæ depurati,
Sacchari albi ana libras duas.

Coquantur ſimul lento igne ad mellis ſpiſſitudinem, adde dum refrixerit Spiritus Cochleariæ uncias tres aut quantum ſufficit, ut fiat Syrupus juſtæ conſiſtentiæ.

Convenit in affectibus ſcorbuticis, reſerat obſtructiones viſcerum, & urinam pellit, ad unciam unam usque datur.

SYRVPVS CONTRAYERVÆ.

℞. Radicis Contrayervæ uncias ſex.

Infundantur per noctem in aquæ fontanæ libris ſex, mane leniter ebulliant, poſtea colaturæ adde ſucci Citri libram unam & cum Sacchari parte anatica cum decocto fiat Syrupus.

Gratus hic Syrupus, præter vim alexipharmacam, quam eidem adſcri-

ſcribunt, pro ſcopo ſitim ſedandi, æſtum refrænandi & corroborandi, in variolis, morbillis, febribus continuis & malignis, in mixturis & Julapiis uſurpari poteſt.

SYRUPUS CORALLORUM.

℞. Solutionis Corallorum cum ſucco Berberum factæ drachmas ſex,
Succi Berberum libram unam,
Sacchari albiſſimi libram unam ſemis.

Miſce, fiat lege artis Syrupus.

Syrupo huic vires adſcribuntur cordiales, hepaticæ & adſtringentes, ita ut etiam in fluxu hepatico & dyſenterico commendetur. Laudatur quoque ad præcavendum abortum, quid inde expectandum, ſaniores facile vident: datur interim ad unciam unam usque, per ſe aut miſcetur cum aliis remediis.

SYRUPUS CORTICUM AURANTIORUM EX CORTICIBUS RECENTIBUS.

℞. Corticum Aurantiorum recentium & extimorum uncias ſex,
Vini albi generoſi libram unam.

Macerentur per viginti quatuor horas, in loco calido, bene obturato vaſe, poſtea vinum decantetur, filtretur, & cum Sacchari ſufficiente quantitate permiſcendo fiat lege artis Syrupus.

Stomachicus & carminativus, cordialis, gratiaque ſua in mixturis blanditur palato.

SYRUPUS EX CORTICIBUS SICCIS.

℞. Infuſi Corticum Aurantiorum ſiccorum quantum vis,
Sacchari quantum ſufficit.

Fiat lege artis Syrupus.

Iisdem fere gaudet virtutibus, ſed non æque gratus.

SYRUPUS CORTICUM CITRI.

Eodem modo fit ac Syrupus Corticum Aurantiorum ex recentibus & ſiccis.

Huic quoque Syrupo gratiſſimo vires cordiales ſtomachicæque adſcribuntur, ſimulque virtus venenis putredinique reſiſtendi & graveolentiam anhelitus emendandi tribuitur.

SYRUPUS CYDONIORUM.

℞. Succi Cydoniorum libram unam,
Sacchari libras duas.

Fiat lege artis Syrupus.

Gratus ventriculo Syrupus eundem roborat, appetitum excitat, nauſeam, vomitum & fluxus alvi ſedat, bilem reprimit, & ob vim ſuam adſtringentem abortui præcavendo deſtinatus eſt; ita ut mulierculæ noſtrates eundem ſæpius in uſum trahant & amygdalas a pellicula liberatas ex eo comedant. Eandem ob cauſam in alviprofluviis uſurpatur. Datur per ſe ad unciam unam ſemis usque.

SYRUPUS

SYRVPVS DIACODII PECTORALIS SIVE DIACODION JOANNIS BAPTISTÆ MONTANI ALIAS SYRVPVS DE SILIQVIS.

℞. Capitum Papaveris albi cum ſeminibus numero viginti,
Siliquarum dulcium uncias tres,
Glycyrrhizæ raſæ uncias duas.

Eximantur e Siliquis grana, poſtea decoquantur in aqua ad remanentiam librarum trium, exprimantur & colentur, tandem addita

Sacchari canti rubri libra una ſemis

Decoquantur ſecundum artem ad mellis conſiſtentiam.

Commendatur in tenuibus & acribus defluxionibus pulmones & aſperam arteriam vellicantibus, item in tuſſi continua & ferina, datur cochleatim.

SYRVPVS DOMESTICVS SIVE DE SPINA CERVINA AVT INFECTORIA.

℞. Succi Baccarum fruticis illius, quem Spinam Cervinam vocant, depurati libram unam,
Sacchari libras duas.

Fiat lege artis Syrupus, ubi tempore coctionis addantur ſequentia in petia ligata:

℞. Aniſi,
Zingiberis,
Cinamomi,
Caryophyllorum ana drachmam unam.

Fiat ex arte Syrupus.

Quanquam hunc Syrupum quidam proſcribere velint, nihilominus & apud infantes uſus ejus locum invenit. Purgat & præſertim ſerum evacuat. In infantibus adhiberi poterit ad meconium lactisque coagula blande & ſine torminibus educenda, præſertim ſi quædam addantur abſorbentia. In adultis commendatur podagricis & imprimis hydropicis, quibus ultimis ſæpius profuiſſe experientia comprobavit. Datur a drachmis duabus usque ad uncias duas. Notant autem merito multi, ut poſt ejus aſſumtionem aliquid ſumatur alimenti, quo tormina præcaveantur.

SYRVPVS EMETICVS.

℞. Vitri Antimonii uncias duas ſemis,
Vini optimi albi libras tres cum dimidia,

Stent in digeſtione, poſtea

℞. Liquoris filtrati uncias quadraginta,
Sacchari libras quatuor.

Fiat lege artis Syrupus, adjiciendo ſub finem

Aquæ Cinamomi uncias tres.

Vires ex nomine patent, quod videlicet vomitum cieat. Doſis eſt ad drachmas duas, ad drachmas ſex ad ſummum.

SYRVPVS DE ERYSIMO LOBELII AVGVSTANORVM.

℞. Eryſimi totius recentis manipulos ſex,

 Ra-

Radicum Helenii,
Tuſſilaginis ana uncias duas,
Herbæ Borraginis,
Cichorii,
Capillorum Veneris ana manipulum unum ſemis,
Florum quatuor Cordialium,
Anthos,
Stœchadis ana manipulum ſemis,
Seminis Aniſi drachmas ſex,
Paſſularum mundatarum uncias duas.
Inciſa & contuſa coquantur in
Aquæ hordei,
Hydromellis ana libris quatuor,
Succi Irionis unciis ſex,
Ad remanentiam librarum trium; in expreſſo liquore diſſolvantur
Sacchari albi libræ duæ.
Fiat lege artis Syrupus.

Attenuat atque incidit pituitoſos atque viſcoſos humores in pectore, expectorationem promovet, & reſpirationem liberiorem reddit, imprimis autem comendatur in raucedine. Per ſe datur ad unciam dimidiam, ad unciam unam.

SYRVPVS DE FARFARA.

℞. Succi Farfaræ depurati libram unam,
Sacchari libras duas.
Decoquantur in Syrupum.

Commendatur in morbis pectoris, tuſſi, pleuritide, catarrhis ſalſis & acribus. Uſurpatur vel per ſe cochleatim, vel in decoctis & infuſis Theiformibus pectoralibus.

SYRVPVS FLORVM TVNICÆ.

℞. Infuſi Florum Tunicæ ſaturati libram unam,
Sacchari libras duas.
Fiat lege artis Syrupus.

Vires cordiales & alexipharmacæ huic Syrupo adſcribuntur. Admiſcetur præſertim mixturis confortantibus. An autem hæ virtutes tanti ſint æſtimandæ, ſaniores facile judicabunt.

SYRVPVS FRAGORVM.

℞. Succi Fragorum depurati libram unam,
Sacchari libras duas.
Fiat lege artis Syrupus.

Refrigerat, ſitim ſedat, cordialis eſt & diureticus.

SYRVPVS FVMARIÆ.

℞. Succi Fumiterræ depurati libram unam,
Sacchari libras duas.
Fiat Syrupus.

Ad ſanguinem purificandum, ſcabiemque curandam commendatur, adhibetur quoque in tranſpiratione promovenda.

SYRVPVS FRAGRANS LAXATIVUS KUFFERI.

℞. Foliorum Sennæ ſine ſtipitibus uncias quatuor,

Rhabar-

Rhabarbari optimi unciam unam ſemis,
Radicis Polypodii unciam unam,
Seminis Coriandri unciam ſemis,
Croci Orientalis drachmam ſemis,
Florum Borraginis,
Bugloſſi,
Violarum ana manipulum ſemis.

Coquantur in aquæ fontanæ ſufficiente quantitate, ad remanentiam librarum trium, colaturæ adde

Succi Rubi Idæi,
Fragorum ana libram unam,
Sacchari albi libras quatuor.

Coque ad Syrupi conſiſtentiam.

Pro ſcopo laxandi adhibetur ad unciam unam, duas & tres.

SYRUPUS GRANATORUM.

℞. Succi Granatorum depurati libras duas,
Sacchari albiſſimi libras quatuor.

Coquantur in Syrupum.

Vires adſcribuntur grato huic Syrupo cordiales, refrigerandi, ſitimque ſedandi, bilem reprimendi, vomitum, fluxus alvi & hæmorrhagias compeſcendi. Potionibus atque Julapiis ægros reficientibus additur.

SYRUPUS HEDERÆ TERRESTRIS.

℞. Succi Hederæ terreſtris depurati libras duas,
Sacchari albiſſimi libras quatuor.

Coquantur, ut eſt artis, in Syrupum.

Vires obtinet traumaticas, detergit & conſolidat, commendatur præſertim in affectibus pectoris, ulceribusque pulmonum. Urinam quoque, menſes & ſudorem ciere dicitur.

SYRUPUS DE HYSSOPO.

℞. Foliorum Hyſſopi manipulos ſex,
Capillorum Veneris manipulum unum,
Radicis Helenii unciam unam,
Apii unciam ſemis.

Coquantur in aquæ quantitate ſufficiente, colaturæ libræ quatuor cum totidem libris Sacchari coquantur lege artis in Syrupum.

Pectoralis eſt, & in tusſi atque aſthmate commendatur, præſertim ubi pituita & ſerum craſſum peccat.

SYRUPUS JUJUBARUM.

℞. Jujubarum numero ſexaginta,
Violarum florum drachmas duas,
Capillorum Veneris,
Hordei mundi,

Glycyrrhizæ ana unciam unam,
Aquæ fontanæ libras novem.
Coquantur ad tertias, colaturæ addendo
Sacchari partem æqualem.

Pectori dicatus eſt, convenit in tusſi & aſthmate, ubi ſerum tenue & acre peccat, incraſſat enim & demulcet.

SYRVPVS MANNÆ LAXATIVUS.

℞. Specierum decocti florum & fructuum uncias duas,
Florum quatuor cordialium ana pugillos duos,
Foliorum Sennæ electorum uncias quatuor,
Paſſularum minorum,
Radicum Polypodii ana uncias duas,
Seminis Aniſi,
Fœniculi ana drachmas duas,
Galangæ,
Macis,
Zingiberis ana drachmam unam.
Coquantur in Aquæ fontanæ ſufficiente quantitate. In colatura ſolvantur
Mannæ Calabrinæ unciæ ſex,
Sacchari albi unciæ octodecim.
Fiat ſecundum artem Syrupus.

Non multum apud Medicos in uſu hic Syrupus evacuans, communiter tantummodo infantibus propinatur, datur ad unciam dimidiam, drachmas ſex.

SYRVPVS MENTHÆ.

℞. Decocti Menthæ criſpæ,
Sacchari ana libras duas,
Fiat lege artis Syrupus.

Syrupus non admodum gratus ventriculo tamen dicatus, eundem roborat & calefacit, ſingultum & vomitum inhibet flatusque disſipat, ſicuti quoque in affectibus uterinis haud inutiliter uſurpatur.

SYRVPVS MYRTILLORVM.

℞. Succi Myrtillorum a baccis maturis expreſſi libram unam,
Sacchari libras duas.
Fiat lege artis Syrupus.

Vbi adſtrictione opus eſt, in alvi profluviis, hæmorrhagiis &c. locum habet.

SYRVPVS NASTVRTII AQVATICI.

Eodem modo paratur ac Syrupus Cochleariæ.

Vt antiſcorbutica & obſtructiones reſerante gaudet.

SYRVPVS NICOTIANÆ.

℞. Decocti Nicotianæ depurati libras tres,
Sacchari libras duas.

Co-

Coque lento igne ad juſtam conſiſtentiam Syrupi.

Convenit adverſus affectus aſthmaticos, in quibus pulmonum bronchia pituita craſſa ac viſcida adeo infarciuntur, ut intercepta reſpiratione ſuffocationis periculum immineat. Vomitum movet & expectorationem promovet. Datur ad drachmam ad drachmas ſex, ad unciam. Externe ulcera ſordida & antiqua detergit absque dolore.

SYRVPVS NYMPHÆÆ.

℞. Infuſionis florum Nymphææ optime ſaturatæ,
Sacchari ana partes æquales.
Fiat lege artis Syrupus.

Refrigerat & incraſſat, hæmorrhagias compeſcit & ſomnum conciliat, ad uncias duas usque datur. Conducit in gonorrhœa virulenta & ardore urinæ.

SYRVPVS PAPAVERIS ERRATICI.

Fit ut Syrupus Nymphææ.

Adhibetur in morbis pectoris pro ſcopo demulcendi, laudatur in angina, tusſi, phthiſi, hæmoptyſi & ſpecifice in pleuritide.

SYRVPVS PAPAVERIS ALBI.

℞. Capitum Papaveris albi cum ſeminibus uncias octo,
Aquæ libras octo.
Decoquantur ad dimidium, cui decocto addantur Sacchari albiſſimi libræ tres, fiat Syrupus, ut eſt artis.

Ob ſubſtantiam glutinoſam humores inſpiſſantem motusque moderantem, dolores ſedat ſomnumque conciliat & fluxus ſiſtit, adhibetur in catarrhis ſalſis tenuibus, aſperitatemque faucium lenit. Datur ad unciam unam.

SYRVPVS PARALYSEOS.

Paratur ex florum infuſione, ut Syrupus de Borragine.

Morbis nervorum, capitis atque articulorum dicatus eſt.

SYRVPVS DE PEDE CATI SEV DE PILOSELLA AVT HISPIDVLA.

Fit eodem modo ut Syrupus Capillorum Veneris.

Pectoralis eſt, & expectorationem promovet, præſertim ubi materia adeſt viſcida & pituitoſa, quam incidit.

SYRVPVS PERSICORVM FLORVM.

℞. Florum Perſicorum recentium libram unam.
Contundantur & macerentur horis duodecim in aquæ calentis quantitate ſufficiente, in vaſe clauſo, poſtea exprimantur, & in colaturæ depuratæ libra una ſolvendo Sacchari albi libram ſemis, fiat debita coctione Syrupus,

Laxat & ſerum bilemque evacuat, vermibusque adverſari creditur, datur ad unciam dimidiam, ad uncias duas usque.

SYRVPVS FLORVM PAEONIÆ.

Paratur eodem modo quo Syrupus de Borragine, ex florum infuſione.

Capitis affectibus, epilepſiæ convulſionibusque mederi dicitur.

SYRVPVS POMORVM LAXATIVUS.

℞. Succi Pomorum dulcium libras duas,
Infuſi florum Borraginis,
Bugloſſi ana libram unam,
Foliorum Sennæ uncias tres,
Croci drachmam unam.

Senna contrita in liquoribus decoquatur & coletur: colatura cum expreſſione cum
Sacchari libris tribus
Coquatur ſecundum artem in Syrupum.

Purgat & aperit, commendatur in affectibus melancholicis, & hyſtericis, menſes quoque pellere dicitur. Datur ad unciam dimidiam, ad uncias duas.

SYRVPVS POMORVM SIMPLEX.

℞. Succi Pomorum vinoſorum libras quinque,
Cum Sacchari partibus æqualibus fiat ex arte Syrupus.

Huic Syrupo vires confortandi, refrigerandi, ſitim ſedandi & bilem compeſcendi tribuuntur.

SYRVPVS DE PRASIO.

℞. Infuſionis Marrubii ſaturatæ,
Sacchari albi ana libras duas.
Fiat lege artis Syrupus

Pectoralis eſt Syrupus, conducit in affectibus a materia craſſa & viſcida oriundis, in tuſſi, in aſthmate, expectorationem promovet.

SYRVPVS DE QVINQVE RADICIBVS MESVÆ.

℞. Radicis Apii,
Fœniculi,
Petroſelini,
Aſparagi,
Ruſci ana uncias duas,
Aquæ fontanæ libras ſex.

Coquantur ad tertiæ partis conſumtionem: expreſſum coquatur denuo ſecundum artem cum
Sacchari libris tribus,
addendo ad finem,
Aceti albi uncias octo.

Vires aperientes, reſerantes, urinam pellentes obtinere dicitur. Datur ad uncias duas.

SYRVPVS E ROSIS SICCIS.

℞. Roſarum rubrarum exſiccatarum libram unam.

Infundantur in aquæ calentis puræ ſufficiente quantitate per noctem, poſtea in expreſſionis libra una diluatur Sacchari albiſſimi pars anatica & coquantur ex arte in Syrupum.

Quod ſi aliquid Spiritus Sulphuris admiſceatur, color rubicundus inſigniter adaugetur. Vires adſcribuntur cordiales & adſtringentes

gentes, in fluxibus alvi atque hæmorrhagiis.

SYRVPVS E ROSIS SOLVTIVUS VEL ROSATVS SOLVTIVUS.

℞. Infuſionis Roſarum ſive Muchari,
Sacchari ana partes æquales.
Fiat lege artis Syrupus.
Alvum blande ſubducit, ipſis infantibus propinari poteſt. Datur ad drachmas duas, unciam dimidiam, uncias duas usque.

SYRVPVS RVBI IDÆI.

Fiat ut Syrupus Fragorum.
Vires confortandi & refrigerandi adſcribuntur, ob gratiam, qua gulæ blanditur, Julapia exinde parantur, eandemque ob cauſam mixturis immiſcetur.

SYRVPVS MORORVM.

Fit ut præcedens.
Uſurpatur in affectibus oris & columellæ.

SYRVPVS SCABIOSÆ.

℞. Decocti Scabioſæ ſaturati,
Sacchari ana partes æquales.
Coque ex arte in Syrupum.
Pectoralis eſt, tusſim ſublevat & in pleuritide conducit.

SYRVPVS SCORDII.

℞. Succi Scordii depurati libras duas,
Sacchari libras tres.
Fiat ex arte Syrupus.
Vim alexipharmacam, emmenagogam & anthelminticam huic adſcribunt Syrupo.

SYRVPVS SEMPERVIVI.

Fit ut præcedens.
Refrigerat & ſitim ſedat, conducit in febribus & in morbis venereis, linguæ inflammationi & ariditati prodeſt.

SYRVPVS DE STOECHADE.

℞. Florum Stœchadis uncias quatuor,
Rorismarini,
Salviæ ana drachmas ſex,
Herbæ Calaminthæ,
Serpilli ana manipulum unum,
Infundantur per noctem in aquæ fontanæ libris ſex, in colatura cum expreſſione denuo infunde
Cinamomi,
Caryophyllorum ana drachmas duas.
Poſtea cum dupla parte Sacchari coquantur in Syrupum.
Inter remedia cephalica, nervina, ſtomachica & becchica refertur.

SYRVPVS DE SYMPHYTO FERNELII.

℞. Radicum & Cymarum Symphyti majoris manipulos ſex,
Roſarum rubrarum,
Betonicæ,
Plantaginis,

Pimpinellæ,
Polygoni,
Scabioſæ,
Tuſſilaginis ana manipulos duos.

Ex contuſis omnibus recentibus exprimatur ſuccus, coquaturque ad libras tres, addendo
Sacchari albi libras duas ſemis.

Fiat ex arte Syrupus.

Vires obtinet adſtringentes & roborantes, conducit in fluxibus alvinis, & ad hæmorrhagias, imprimis hæmoptyſin. Pulmones roborat & convenit in phthiſi.

SYRUPUS VERONICÆ.

℞. Decocti Veronicæ,
Sacchari albi ana partes æquales.

Coquantur ſecundum artem in Syrupum.

Capiti imprimis & pulmonibus dicatus eſt, quos abſtergit & glutinat, conducit etiam in hæmoptyſi. Laudatur quoque ad renes mundificandos & ab arenulis & calculis liberandos.

SYRUPUS VINI MALVATICI.

Fit ex Vino Malvatico vel alio optimo odoratiſſimo albo & quantitate Sacchari ſufficiente.

Stomachicus atque cordialis habetur.

SYRUPUS VIOLARUM PURPUREARUM.

℞. Florum Violarum Martialium libram unam, eos diligenter e caliculis excerptos, & a viridi caule repurgatos, in libra una ſemis aquæ per viginti quatuor horas infunde, poſtea cola & exprime; ex colaturæ expreſſæ libra una cum Sacchari libra ſemis

Fiat lege artis Syrupus.

Suaviſſimo huic Syrupo & propterea uſitatiſſimo vires cordiales atque pectorales, ad tusſim, raucedinem & aſperitatem faucium, refrigerantes, inſuper & humectantes adſcribuntur. Infantibus præſertim conducit, alvum parumper laxando. Æſtivo tempore Julapia inde ſæpius fiunt.

SYRUPUS VIOLARUM SOLUTIVUS.

Fit ut Syrupus Roſatus Solutivus, ex Violarum integrarum recentium infuſione.

℞. Hujus infuſionis depuratæ libras tres,
Sacchari albi libras duas.

Coquantur lento igne ad Syrupi conſiſtentiam.

Alvum quoque ſubducit & infantibus præſertim exhiberi poteſt. Datur ad drachmas duas, ad unciam unam, usque ad uncias duas.

CLAS-

CLASSIS VIGESIMA TERTIA
TINCTVRARVM CONFECTIONEM DOCENS.

TINCTVRA ANTIMONII TARTARISATA.

℞. Salis Tartari libram unam,
Antimonii electi libram ſemis.

Pulveriſata & mixta fluant in crucibulo, valido igne per horam, poſtea effunde maſſam in mortarium ferreum calefactum, pulveriſentur, & mox in phiolam itidem prius calefactam indito, ſuperfunde Spiritum Vini rectificatiſſimum, ad eminentiam trium digitorum, digerantur per aliquot dies in arena, interdum agitando, donec Spiritus Vini rubicundo colore ſaturo tingatur & Tinctura ſatis acris exiſtat. Com̃uniſſime nunc paratur ex ſcoriis Reguli Antimonii cum Spiritu Vini rectificatiſſimo extrahendo Tincturam. Quod ſi ab hac Tinctura dimidia pars Spiritus Vini de novo abſtrahatur, emergit Tinctura concentrata, quæ licet diu aſſervari nonpoſſit, longe tamen efficacior & acrior eſt.

Sanguinem purificat, acidum abſumit, obſtructionesque tollit. In menſium obſtructionibus, melancholia hypochondriaca, paſſione hyſterica, ſcabie, ſcorbuto conducit. Vim obtinet ſudoriferam, convenit in catarrhis, gonorrhœa virulenta & lue venerea: præſertim ea quæ eſt concentrata. Doſis ad guttas decem, triginta, quinquaginta &c.

TINCTVRA ANTIPHTHISICA.

℞. Aceti ſupra Minium vel Lithargyrium probe dulcificati uncias duas,
Vitrioli Martis unciam ſemis.

Stent ita per tempus, vel dies aliquot, tunc adde Spiritus Vini rectificati uncias tres & ſtent donec Tinctura in frigido ſit probe extracta, quæ ſervetur.

Vires ejus ſunt ſerum refrænare & leni adſtrictione difflationem ejusdem, quæ fit per ſudores, inhibere, hinc laudatur in hectica & phthiſi, ut & in gonorrhœa, commendatur in hæmoptyſi, ad pulmones conſolidandos, nimium menſium fluxum, pollutionem nocturnam, ulcera renum &c. Doſis, guttæ decem, ad triginta & ultra, caute tamen propinetur, præſertim ſi ventriculus jam ſit debilis.

TINCTVRA BALSAMI INDICI ALBI.

℞. Balſami Indici albi unciam unam,
Salis Tartari drachmas duas,

 Spi-

Spiritus Vini rectificatiſſimi uncias ſex,

Balſamum cum Sale probe uniatur ſenſimque Vini Spiritus affundatur & ſic debita adhibita digeſtione eliciatur Eſſentia atque Tinctura.

Fragrans hæc Tinctura medicamentum eſt cephalicum, nervos roborans & cardiacum, conducit quoque in gonorrhœa virulenta &c. Datur ad guttas decem, viginti & ultra.

TINCTURA BENZOES.

℞. Benzoes uncias duas,
Storacis Calamitæ drachmas ſex,
Spiritus Vini rectificatiſſimi libram unam.

Digere in vitro clauſo ad ſaturatam Tincturæ extractionem, filtra & ſerva.

Tanquam coſmeticum ad maculas delendas & nitorem faciei conſervandum comendatur, quum hæc Tinctura aquæ infunditur aqua lacteſcit, & conſtituit ſic dictum Lac Virginis, ad quatuor uncias aquæ ſumi poteſt drachma una Tincturæ. Alias quoque aſthmaticis & aliis pectoris morbis laborantibus ad aliquot guttas propinari poteſt.

TINCTURA BEZOARDICA MICHAELIS.

℞. Radicis Zedoariæ uncias duas,
Angelicæ,
Pimpinellæ,
Valerianæ veræ,
Vincetoxici,
Calami Aromatici ana unciam unam,
Coſti electi,
Corticum Citri exteriorum recentium,
Baccarum Juniperi ana uncias duas,
Myrrhæ uncias tres,
Herbæ Scordii manipulos tres,
Meliſſæ,
Millefolii,
Rutæ ana manipulum unum,
Camphoræ unciam unam,
Theriacæ optimæ libram unam ſemis,
Spiritus Vini boni menſuras duas.

Poſt octiduanam digeſtionem abſtrahantur in arena Spiritus libræ duæ.

His adde:
Spiritus Tartari genuini libram unam ſemis,
Vitrioli Volatilis uncias ſex.

Miſceantur & tingantur cum fructu Solani quadrifolii, quod vulgo Herba Paris dicitur & filtrentur.

Vires ejus prædicantur alexipharmacæ, in febribus continuis & malignis, ſudores movet, obſtructiones reſerat, flatus pellit, urinam ciet. Doſis ad decem triginta, quadraginta guttas &c.

TINCTURA BEZOARDICA WEDELII.

℞. Radicis Zedoariæ,
Gentianæ veræ,
Angelicæ,
Rorismarini,
Contrayervæ,
Carlinæ,
Biſtortæ,
Diptamni albi,
Tormentillæ,
Scorzoneræ,
Vincetoxici,
Olsnitæ ſive Apii ſylveſtris ana unciam unam,
Florum Galegæ,
Ulmariæ,
Calendulæ,
Scabioſæ,
Rutæ ana unciam ſemis,
Seminis Fraxini,
Cardui benedicti,
Aquilegiæ,
Rutæ ana drachmas duas,
Baccarum Paridis unciam unam ſemis,
Cubebarum,
Granorum Chermes,
Opobalſami ana unciam ſemis,
Corticum Citri drachmas ſex,
Camphoræ,
Myrrhæ electæ ana unciam unam,
Croci drachmam unam.

Conciſis & contuſis groſſo modo affunde Spiritus Bezoardici ſeu Sambucini quantitatem ſufficientem. Cum per aliquot dies ſteterit in ſemidigeſtione adde Spiritus Salis uncias duas, Santali rubri unciam unam ſemis. Tinctura ſaturata decantetur & exprimatur ſervanda ad uſum.

In febribus continuis & malignis in variolis & morbillis, peſte, pleuritide, febribus puerperarum, dolore capitis, eryſipelate, dyſenteria, inflammationibus, defluxionibus catarrhalibus & ubi alias ſudore opus eſt convenit. Datur ad guttas decem, viginti triginta &c. vel per ſe in vehiculo, vel cum ſubduplo, vel ſubtriplo Mixturæ Simplicis & Tincturæ anodynæ, ſi opus eſt.

TINCTURA CORALLORUM.

Spiritum Mellis funde ſuper fragmenta Coralliorum rubicundiſſima pulveriſata, digerendo extrahe toties Tincturam, donec corpus album & quaſi mortuum remanſerit. Omnes extractiones mixtas lento igne coagula, reſiduumque denuo rectificatiſſimo Vini Spiritu extrahe & filtra.

Dicitur mundificare ſanguinem, obſtructiones viſcerum reſerare, cordis palpitationi, ſyncopi, melancholiæ, hydropi, calculo & neſcio quibus morbis mederi. Vires cordiales, confortativæ & cephalicæ ſingulares adſcribuntur. Doſis ad guttas decem, viginti & ultra, quid

valere poſſit ſaniores facile judicabunt.

TINCTURA HYPERICI.

℞. Summitatum Hyperici florentis quantum vis. Macera octiduum in Spiritus Vini rectificati ſufficienti quantitate, in loco tepido, poſtea filtrentur, & accipies Tincturam rubicundiſſimam inſtar Rubini.

Convenit in maniacis, melancholicis, in affectibus nephriticis, in vulneribus & ulceribus &c. Doſis eſt ad drachmam ſemis & ultra.

TINCTURA JALAPPÆ.

℞. Reſinæ Gialappæ unciam unam,
Spiritus Vini rectificatiſſimi uncias octo.

Stent in digeſtione, donec reſina diſſoluta & Spiritus optime tinctus fuerit.

Conducit in affectibus a colluvie ſeroſa ortis, hydrope, leucophlegmatia, oedemate, affectibus ſoporoſis &c. Doſis ad drachmam unam, drachmam unam ſemis: drachma Spiritus continet reſinæ grana ſeptem cum dimidio.

TINCTURA LACCÆ.

℞. Gummi Laccæ ſubtiliter pulveriſati unciam ſemis,
Aluminis uſti drachmas duas.

Mixtis affunde aquæ Salviæ, Plantaginis & Roſarum ana uncias quatuor. Stent in digeſtione, donec perfecte tingantur, poſtea filtrentur, & Tinctura rubicundiſſima ad uſum communem ſervetur.

TINCTURA MARTIS APERITIVA TARTARISATA.

℞. Limaturæ Martis,
Tartari crudi pulveriſati ana libram ſemis.

Coque cum aquæ menſuris ſeptem circiter per plures horas, ad mellaginem, ſubinde bacillo ligneo materiam agitando. Poſtea affuſa denuo aqua fontana ad menſuras duas vel tres, ſtent in infuſione per noctem, tunc repetatur coctio ut prius, tandem filtra liquorem & ad tertias evapora & affunde Spiritus Vini quantitatem ſufficientem, ita ut non nimis diluta fiat Tinctura; ubi parum præcipitatur, rurſus liquorem filtra & ſerva.

Vires ex nomine patent, obſtructiones reſerat, datur in affectibus cachecticis, retentione menſium, hydrope. &c. Datur ad drachmam & ultra.

TINCTURA MARTIS
CUM
SUCCO POMORUM ROLFINCII.

℞. Limaturæ Martis repurgatæ libram ſemis,
Succi Pomorum redolentium recenter expreſſi quantum ſatis.

Stent

Stent in digeſtione per aliquot dies, agitando ſæpius vas & liquorem ipſum. Poſtea coletur liquor per linteum ſubtile, novus ſuccus affundatur, digeſtione peracta iterum quod tinctum decantetur. Conjuncti impraegnati ſucci exhalent ad medietatem & ultra. Ut ætatem ferat nec ſitum contrahat penetrantiorque Tinctura fiat:

℞. Hujus Tincturæ partes ſex,
Spiritus Vini partes duas.

Miſce.

Hæc Tinctura celebratur aperiens, craſſos & fæculentos humores maſſæ ſanguineæ admiſtos, ſeroſos etiam & acres humores ſcorbuticos reſolvens. Doſis ad drachmam unam, ad drachmas duas.

TINCTVRA MARTIS HELLEBORATA WEDELII.

℞. Limaturæ Martis,
Tartari depurati ana unciam unam,
Radicis Hellebori nigri unciam ſemis,
Cinamomi electi drachmas duas.

Affunde aquæ fontanæ quantitatem ſufficientem, ſtent per aliquot dies in vitro bene tecto, coquantur in lebete ferreo & ſpatula ferrea agitando, donec liquor ſit ferruginei coloris, poſtea ab igne removeantur & ſtent ad ſpontaneam fecum ſubſidentiam, liquor clarus decantetur & filtretur, lenique igne inſpiſſetur, donec ſaturate fuſcus vel niger color in guttis obſervetur. Poſtea removeatur ab igne & cum triplo Spiritus Vini miſceatur, ubi aliqua præcipitatio obſervabitur, ut eo durabilior ſit.

Prodeſt in morbis contumacibus, chronicis, affectu hypochondriaco, ictero, arthritide, ſcorbuto, melancholia, mania. Doſis ad guttas viginti, triginta, quadraginta & ultra.

TINCTVRA VITRIOLI MARTIS LVDOVICI.

℞. Vitrioli Martis,
Tartari depurati ana libram ſemis.

Fiat Pulvis, qui cum aquæ ſimplicis libris ſex coquitur & inter agitandum lente exhalat ad mellis conſiſtentiam, hocque coagulum Spiritus Vini libris ſex extrahitur, & poſt filtraturam inde libra una vel interdum nihil abſtrahitur. Tingatur floribus Papaveris erratici.

In quibusvis morbis ab obſtructionibus oriundis, in cachexia, menſium obſtructione, lienis atque hepatis & meſenterii obſtructionibus, in ictero, hydrope &c. commendatur, ipſis quoque infantibus non abſque ſucceſſu adhibenda. Doſis ad ſcrupulum unum, ad drachmam unam.

TINCTURA MARTIS EX VITRIOLO MARTIS ZWELFFERI.

℞. Vitrioli Martis,
Arcani ſive Terræ Tartari foliatæ ana unciam unam.

Miſceantur in mortario vitreo & ſtent per aliquot dies, donec efloreſcant floſculi crocei, adde Spiritus Vini quantitatem ſufficientem & extrahe Tincturam.

Efficax ab Authore dicitur hæc Tinctura, in obſtructionibus hypochondriorum, Meſenterii, Pancreatis, menſium ſuppreſſionibus reſerandis, confortat Hepar cum reliquis viſceribus naturalibus morboque virgineo & cachexiæ medetur. Doſis ad guttas decem, ad drachmam unam, duas & tres, in vehiculo propinandas, extendi poteſt, quamvis obſervatum fuerit, quod ultra drachmam ſemis exhibita quandoque vomitum moveat.

TINCTURA MYRRHÆ.

℞. Myrrhæ electæ pulveriſatæ quantum vis,
Spiritus Vini rectificatiſſimi ad eminentiam quatuor digitorum.

Digerantur in vaſe vitreo, calore leni, donec Tinctura optime fuerit extracta, poſtea decantetur & ſervetur.

Interne uſurpatur pro ſcopo calefaciendi, aperiendi, attenuandi, diſcutiendi & putredini reſiſtendi. In obſtructionibus, menſium ſuppreſſionibus, febribus intermittentibus & vermibus commendatur. Datur ad guttas quindecim, triginta &c. Externe adhibetur in gangræna, ulceribus ſordidis, carieque oſſium.

TINCTURA MYRRHÆ SUCCINATA.

℞. Succini,
Myrrhæ ana unciam unam ſemis,
Liquoris Nitri fixi unciam unam,
Spiritus Vini rectificatiſſimi libram unam.

Fiat lege artis Tinctura.

Præſtantior præcedenti habetur, præſertim in affectibus uterinis.

TINCTURA ODONTALGICA MYNSICHTI.

℞. Ligni Guajaci uncias duas,
Saſſafras,
Radicis Sarſæ parillæ ana unciam unam,
Pyrethri,
Aluminis crudi,
Nitri præparati ana unciam ſemis,
Seminis Staphidiſagriæ,
Hyoſcyami ana drachmas duas,
Opii depurati,
Caryophyllorum ana drachmam unam ſemis,
Herbæ Serpilli,
Origani,
Croci Orientalis ana drachmam unam.

Miſce & fiat Pulvis, quem inde vitro & ſuperfunde Spiritus Vini ſim-

ſimplicis & Aceti Vini ana libram unam ſemis & fiat Tinctura.

De hac Tinctura tantillum calide in ore detineatur, loco illo ubi dentes ſunt dolentes: poſtea iterum exſpuatur & reiteretur ſi opus eſt: efficaciſſime omnes dentium dolores etiam acutiſſimos affluxus inhibendo ſedat atque placat, immo mirabiliter extrahit humores illapſos. Ab initio quidem videtur ſæpius dolor augeri, ſed paulo poſt mitigatur & deſinit.

TINCTVRA SIVE ANIMA RHABARBARI ROLFINCII.

℞. Radicis Rhabarbari Alexandrini electi unciam ſemis,
Salis Tartari drachmas duas,
Aquæ Cichorii libram ſemis.

Contuſa radix miſceatur cum Sale Tartari, affundatur aqua, in momento extrahitur Tinctura crocea, ſtet in digeſtione caloris leniſſimi, liquor filtratus ſaturate rubicundus ſervetur ad uſum.

Sanguinem mundificat & obſtructiones meſenterii aliorumque viſcerum reſerat, conducit in cachexia, ictero, hydrope &c. Doſis eſt ad ſcrupulum unum, drachmam unam, cochlear dimidium, ad cochlear integrum & ultra.

TINCTVRA ROSARVM.

℞. Florum Roſarum rubrarum exſiccatarum unciam ſemis,
Aquæ fontanæ ferventis libram unam,
Spiritus Vitrioli boni drachmam ſemis.

Stent in Balneo Mariæ tepido per horas quatuor; poſtmodum in colatura rubicundiſſima diſſolvantur Sacchari albi unciæ tres, & per chartam bibulam trajiciantur.

Refrigerat, ſitim ſedat & corroborat, vel per ſe hauritur vel immiſcetur potui ordinario. Eodem *modo paratur*

TINCTVRA VIOLARVM.

Excepto quod non aſſumatur Spiritus Vitrioli.

TINCTVRA SVLPHVRIS.

Liquefiant Sulphuris citrini partes duæ in patina terrea, ſuper igne leni, liquefacto Sulphuri injice Salis Tartari partem unam, agita continuo cum ſpatula lignea ſuper igne, quousque craſſiorem conſiſtentiam & atrorubentem colorem acquiſiverit. Effunde maſſam in vas ligneum madefactum, refrigeratam tere & ſuperfunde Spiritum Vini rectificatiſſimum ad eminentiam quatuor digitorum, ſtent in digeſtione donec Tinctura appareat rubicundiſſima & maxime ſaturata, quam filtra & ſerva.

Interne commendatur in affectibus pectoris, ad guttas quinque, viginti &c. externe in affectibus fiſtuloſis, cancroſis & aliis vitiis cutaneis convenit.

TINCTVRA SALIS TARTARI.

℞. Salis Tartari depurati quantum vis. Funde illud in valido crucibulo igne intenſo, inque fluxu tamdiu conſerva, donec in colorem e rubro cœruleum tranſierit, effuſum in mortarium ferreum calefactum pulveriſetur & mox in phiolam itidem prius calefactam indito, ſuperfunde Spiritum Vini rectificatiſſimum, ad eminentiam trium digitorum, digerantur per aliquot dies in arena, interdum agitando, donec Spiritus Vini rubicundiſſimo colore tingatur.

Eſt inſigniter aperitiva, obſtructiones reſerat, vias urinarias abſtergit, urinam ciet & ſanguinem purificat. Doſis ad guttas decem, ad viginti, triginta &c.

CLASSIS VIGESIMA QVARTA

TRAGÆAS ENVMERANS.

TRAGÆA ALBA.

℞. Gummi Tragacanthæ albæ uncias tres,
Arabici uncias quinque,
Radicis Liquiritiæ,
Ireos Florentinæ ana uncias duas ſemis,
Amyli libras duas,
Sacchari albi libras ſex.
Miſce fiat Pulvis.

Convenit præſertim infantibus, ad tormina curanda & præſervanda, datur cuſpidatim.

TRAGÆA GRANORVM ACTES.

℞. Succi Baccarum maturarum Sambuci expreſſi quantum vis, adde Farinam ſecalinam, fac paſtam & exinde panes exiguos, in furno ad duritiem bis cocti coquendos. Hos pulveriſa, pulverem cum eodem ſucco iterum impaſta, atque ut prius in furno coque, idque tertio repetatur. Tandem pulveriſa ac ſerva.

Adſtringens hoc remedium tanquam ſpecificum antidyſentericum cenſetur. Doſis ad drachmam unam, ad unciam ſemis.

TRAGÆA SVAVIS.

℞. Cinamomi acuti uncias quatuor,
Caryophyllorum unciam unam ſemis,
Macis unciam ſemis,
Nucis Moſchatæ,

Zin-

Zingiberis ana drachmas ſex,
Santali rubri cum Spritu Vini irrorati uncias tres,
Sacchari albi libras quatuor.
Miſce fiat Pulvis.

Virtute ſtomachica gaudet, concoctionem promovet, uſurpatur poſt paſtum ad aliquot cultri cuſpides cum pane parumper toſto Vino ebrio. Omiſſo Santalo comparet albicans.

CLASSIS VIGESIMA QVINTA

TROCHISCOS PANDENS.

TROCHISCI DE AGARICO AVT AGARICVS TROCHISCATVS.

℞. Agarici electi uncias quatuor,
Vini generoſi, in quo drachma una Zingiberis infuſa fuerit, quantum ſufficit.
Formentur Trochiſci.

Ad ſerum & pituitam educendam commendatur. In infuſis & decoctis ad drachmas duas, unciam ſemis, ad drachmas ſex præſcribitur.

TROCHISCI ALHANDALI.

℞. Tragacanthi,
Gummi Arabici,
Bdellii ana drachmas duas.

Macerentur in aqua Roſacea, donec liqueſcant, & cum majori parte hujus mucilaginis Pulpæ Colocynthidis a ſeminibus mundatæ ac minutim inciſæ unciæ decem imbuantur, ſiccentur, pulveriſentur, & tandem cum reliqua mucilagine formentur Trochiſci.

Violenter purgant & commendantur in affectibus contumacioribus, mania, melancholia &c. Doſis conſtituitur ad ſcrupulum ſemis usque. Præſtat autem iis tantum uti ſtimuli loco cum aliis purgantibus ad granum unum, aut grana duo & paulo ultra.

TROCHISCI BECCHICI ALBI.

℞. Sacchari albiſſimi uncias ſedecim,
Ireos unciam ſemis,
Moſchi granum unum,
Mucilaginis Tragacanthi albiſſimi cum aqua Roſarum factæ quantum ſatis.
Formentur Trochiſci parvi.

Faucium aſperitati conducunt ac tuſſientibus & difficulter ſpirantibus opem ferunt, proſunt quoque ad fœtorem oris emendandum.

TROCHISCI BECCHICI CITRINI.

℞. Sacchari albi libram unam,
Radicis Ireos Florentinæ,
Liquiritiæ ana unciam unam,
Croci ſcrupulos duos,
Cum ſufficiente quantitate mucilaginis Tragacanthi fiant lege artis Trochiſci.

Pectorales ſunt, unde Becchici dicuntur.

TROCHISCI BECCHICI NIGRI.

℞. Succi Liquiritiæ uncias octo,
Seminis Aniſi,
Fœniculi ana unciam ſemis,
Sacchari libram unam.
Cum mucilagine Tragacanthi fiant Trochiſci.

Conveniunt præſertim in pertinaciori tuſſi, cui quædam vaſorum læſio juncta eſſe videtur.

TROCHISCI DE CAPPARIBVS MESVÆ.

℞. Corticum radicum Capparum,
Seminis Agni caſti ana drachmas ſex,
Nigellæ,
Naſturtii,
Calaminthæ,
Succi Eupatorii Meſuæ,
Acori,
Amygdalarum amararum,
Foliorum Rutæ,
Ariſtolochiæ rotundæ veræ,
Gummi Ammoniaci ana drachmas duas,
Cyperi rotundi,
Scolopendrii veri, ſeu Ceterach ana drachmam unam.
Trita omnia cum Ammoniaco in Aceto diſſoluto formentur in Trochiſcos.

Obſtructionibus hepatis atque lienis aliorumque viſcerum ſunt dicati, vim quoque obtinent carminativam, diureticam & emmenagogam. Doſis eſt ad ſcrupulum unum, ad drachmam unam.

TROCHISCI DE CREMORE TARTARI.

℞. Cremoris Tartari unciam unam ſemis,
Sacchari albiſſimi uncias octo.
Cum Aqua Roſarum fiant Trochiſci.

Ad appetitum excitandum, ſitim ſedandam & bilem refrænandam uſurpantur.

TROCHISCI DE CONFECTIONE ALKERMES.

℞. Confectionis Alkermes completæ unciam unam ſemis,
Ambræ,
Moſchi ana grana quatuor,
Sacchari albi uncias ſedecim,
Laccæ Florentinæ quantum ſufficit pro colore rubro conciliando,
Mucilaginis Tragacanthi cum Aqua Roſarum factæ quantum ſatis.
Fiant Trochiſci.

Cor-

Cordiales ſunt atque cephalicæ, anhelitus quoque ſuavitatem conciliant.

TROCHISCI DIARRHODON ABBATIS.

℞. Specierum Diarrhodon Abbatis quantum placet.
Cum mucilagine Tragacanthæ fiant Trochiſci.

Dyſentericis, cœliacis, jecinoroſis & ſtomachicis conferunt. Doſis a ſcrupulo uno, ad ſcrupulos quatuor.

TROCHISCI FVMALES CVM MOSCHO.

℞. Aſæ dulcis unciam unam ſemis,
Ligni Aloes unciam ſemis,
Storacis Calamitæ drachmas ſex,
Moſchi Orientalis grana quatuor,
Sacchari communis uncias duodecim.
Fiant lege artis Trochiſci.

TROCHISCI FVMALES SINE MOSCHO.

℞. Styracis Calamitæ uncias quatuor,
Benzoes uncias octo,
Caryophyllorum unciam ſemis,
Cinamomi drachmas duas,
Florum Roſarum rubrarum unciam ſemis,
Sacchari libram unam ſemis.
Cum mucilagine Tragacanthi fiant Trochiſci.

Uſus ex nomine patet.

TROCHISCI DE MYRRHA RHASIS.

℞. Myrrhæ drachmas tres,
Lupinorum drachmas quinque,
Foliorum Rutæ,
Mentaſtri,
Pulegii Cervini,
Seminis Cumini,
Radicis Rubiæ,
Aſæ fœtidæ,
Sagapeni,
Opopanacis ana drachmas duas.
Diſſolvantur Gummi in Aceto ſcillino & cum ſucco Artemiſiæ fingantur Trochiſci.

Vi antihyſterica pollent, menſes provocant, partum facilitant & ſecundinas pellunt. Dantur ad ſcrupulum, ad drachmam usque.

TROCHISCI HERMETICI SCRETÆ.

℞. Mercurii dulcis unciam ſemis,
Cornu Cervi philoſophici ſcrupulos duos,
Cinamomi acuti ſcrupulum unum,
Dacrydii Sulphurati grana quadraginta octo,
Sacchari albi unciam unam,
ConſervæRoſarum rubrarum drachmas duas.
Cum mucilagineTragacanthæ in aqua Roſarum ſolutæ fiant Trochiſci numero ſexaginta quatuor,

In vermibus & morbis inde oriundis egregie conducunt. Doſis ſcru-

ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis, ſcrupulos duos.

TROCHISCI SCILLÆ GALENI.

Scillam plenam & candidam, cortice primo detracto & parte duriore, cui radiculæ adhærent, abjecta, farina ſubacta involves, & eo usque in clibano coques, donec farina cruſtam contraxerit, qua perforata, ſtylo ligneo explorabis, num Scilla tenera ſit. Eam exemtam diligenter teres, & admiſcebis farinæ Ervi tenuiſſime cribratæ uncias octo ad ſingulas libras, formabisque Trochiſcos ponderis duarum drachmarum, quos in umbra ſiccabis, ſæpius invertendo, donec probe ſiccati fuerint.

Alexipharmaci habentur & vi incidente præditi, ingrediuntur Theriacam. Doſis eſt ſcrupulus unus, ſcrupuli duo.

TROCHISCI DE TERRA CATECHV.

℞. Terræ Catechu unciam unam,
Sacchari candi albi uncias duas,
Ambræ gryſeæ,
Moſchi Orientalis ana ſcrupulum ſemis.

Cum mucilagine Tragacanthæ fiant Trochiſci inſtar muſcerdæ.

Conveniunt in fœtore oris ejusque ſcorbuto & gingivarum eroſione.

TROCHISCI DE VIPERIS.

Ex Italia ad nos advehuntur.

Alexipharmaci habentur, ſanguinem purificant & a putredine præſervant, ſed vix uſurpantur quam in Theriaca.

CLASSIS VIGESIMA SEXTA

UNGVENTA

EXHIBENS.

UNGVENTVM ÆGYPTIACVM MAGISTRALE SEV COMPOSITVM.

℞. Viridis Æris uncias quatuor,
Aluminis,
Salis Ammoniaci ana unciam ſemis,
Succi Scordii uncias quatuor,
Alliariæ,
Rutæ ana uncias tres,
Aceti Scillini uncias ſex,
Mellis cum decocto Abſinthii & Scordii deſpumati uncias ſedecim.

Omnia

Omnia ſimul lento igne coquantur ad mediocrem Unguenti conſiſtentiam, addendo

Theriacæ electæ,
Mithridatii ana unciam ſemis,
Camphoræ unciam unam.

Ex probe mixtis fiat Unguentum.

Uſus hujus Unguenti commendatur in gangræna & ſphacelo, omnibusque aliis ulceribus valde putridis & ſinuoſis; putredini ſiquidem reſiſtit & carnem mortuam a ſana ſeparat, exſiccat ac detergit, carnem quoque luxuriantem abſumit. Habet tamen & hoc vitii, quod, niſi corruptæ carnis copia adſit, absque doloribus acerbiſſimis vix applicari queat.

UNGVENTVM ÆGYPTIACVM SIMPLEX MESVÆ.

℞. Viridis Æris unciam unam,
Aluminis crudi drachmas ſex,
Mellis libram ſemis,
Aceti fortis uncias quatuor,

Coquantur omnia, donec fiat Unguentum ſpiſſum, & colore purpureum, ita dictum, quod in Ægypto fuerit inventum.

Valentiſſimum eſt ad ſaniem ſiccandam, ſordes detergendas & carnem luxuriantem abſumendam, ulceribus malignis, putridis & ſinuoſis convenit. Prodeſt quoque in gingivis tumentibus & ulceroſis, præſertim, ſi, verbi gratia, mellis Roſarum ſimplicis unciæ uni admiſceantur drachmæ duæ Unguenti Ægyptiaci.

UNGVENTVM ALABASTRINVM.

℞. Florum & Herbarum
Chamæmeli,
Rutæ ana manipulos duos,
Roſarum,
Betonicæ ana manipulum unum,
Radicis Althææ uncias duas,
Olei Roſati libram unam ſemis.

Contundantur, & ad aqueæ humiditatis exhalationem coquantur, poſtea colentur & exprimantur. Ex colatura cum

Alabaſtri puri & pulveriſati unciis tribus & Ceræ albæ ſufficienti quantitate

Fiat Ungentum.

Conferre dicitur in doloribus capitis, ſive per eſſentiam ſive per conſenſum ortis, cum febre vel absque febre conjunctis, præſertim in dolore capitis bilioſo, febribus ardentibus, phrenitide. &c. Aſſeritur quoque refrigerare & ſanguinis æſtum ſedare, ſomnumque conciliare, temporibus, fronti, plantis pedum, ac ſpinæ dorſi applicatur Unguentum hoc cum ſui ſimilibus; vetuſtate pallidius fit.

UNGVENTVM ALBVM CAMPHORATVM.

℞. Unguenti albi ſimplicis libram unam,
Camphoræ cum Oleo Roſarum ſolutæ unciam ſemis.
Miſce.

Hoc valentius habetur quam Unguentum album ſimplex, propter camphoram, eryſipelata reprimit, levioribus inflammationibus & ambuſtis medetur.

UNGVENTVM ALBVM SIMPLEX SIVE DE CERVSSA DICTVM AVICENNÆ.

℞. Ceruſſæ albæ lotæ uncias tres,
Ceræ albæ uncias tres ſemis,
Olei Roſati uncias octo,
Albuminum Ovorum numero quatuor.

Ceræ in Oleo Roſato liquatæ injice Ceruſſam probe contritam, miſce, ac poſtremo adde albumina Ovorum.

Commendatur ad ambuſta, eryſipelata, ſcabiem & cutis vitia a ſalſedine enata, ad prurigines ac puſtularum eruptiones, acrem ſerpiginem & intemperiem ulcerum, uti loquuntur, calidam.

UNGVENTVM ALTHÆÆ, DIALTHÆA SIVE DE ALTHÆA SIMPLEX NICOLAI.

℞. Mucilaginis Radicum Althææ,
Seminis Lini,
Fœnigræci ana libram unam,
Butyri libras decem,
Ceræ libram unam,
Reſinæ libras duas,
Terebinthinæ uncias octo.

Mucilagines cum Butyro coquantur ad humiditatis conſumptionem, poſtea reliqua liquefacta addantur & cum pulvere radicis Curcumæ tingantur & fiat lege artis Unguentum.

Uſu celeberrimum ad emolliendum, calefaciendum & humectandum, pectoris dolorem a frigore contractum abolet, laterumque doloribus feliciſſime adhibetur, viſcerum durities laxat ac ſtomachi inflammationes diſcutit, valet ad nervorum duritiem ac reſolutionem, eosque præciſos glutinat, vulnera claudit, imprimis veſicæ benefacit, lenit, incidit & digerit.

Ex hoc Unguento cum Oleo Laurino fit Unguentum mixtum vernacula Althee Soldſ dictum, in vulgus magnopere commendatum.

UNGVENTVM AD AMBVSTA AVGVSTANORVM.

℞. Camphoræ unciam unam,
Olei Roſarum uncias tres,
Ceruſſæ albæ uncias ſex,
Pulveris Olibani electi uncias duas,
Albuminum Ovorum numero ſeptem.

In plumbeo mortario miſceantur & agitentur optime.

Vires

Vires ex nomine patent.

UNGVENTVM ANODYNVM AVGVSTANORVM.

℞. Olei Liliorum alborum uncias ſex,
Anethini,
Chamæmelini ana uncias duas,
Amygdalarum dulcium unciam unam,
Pinguedinis Anatis,
Gallinæ ana uncias duas,
Ceræ flavæ quantum ſatis eſt.

In Oleis & Pinguedinibus Ceram liquando fiat Unguentum.

Dolores quacunque in corporis parte mitigat, unde & nomen contraxit.

UNGVENTVM APOSTOLORVM SEV DODECAPHARMACVM AVICENNÆ.

℞. Terebinthinæ,
Reſinæ,
Ceræ,
Gummi Ammoniaci præparati ana uncias duas,
Ariſtolochiæ longæ,
Thuris maſculi,
Bdellii ana unciam unam,
Myrrhæ,
Galbani præparati ana unciam ſemis,
Opoponacis,
Viridis Æris ana drachmas duas,
Lithargyrii drachmas decem,
Olei communis libras tres.

Oleum cum Lithargyrio ſufficienter coquatur lento igne, poſtea immiſceatur Cera cum Reſina liquefacta & colata, atque his ab igne remotis & nonnihil refrigeratis Ammoniacum, Galbanum & Opoponax cum Terebinthina ſoluta, ac tandem reliqua in pulverem contrita addatur

Sic dictum quod ex duodecim (Oleo ut fieri ſolet non numerato) conſtet ſimplicibus. Uſu frequens ad vulnera & ulcera difficilia, cuniculoſos ſinus & fiſtulas, ſordidaque ulcera emendat & exſiccat, ac detergit & exeſa putrilagine carnem reſtaurat, duramque emollit.

UNGVENTVM ARTHANITÆ MAJVS MESVÆ.

℞. Radicum Cyclaminis libras tres,
Cucumeris Aſinini,
Butyri Vaccini ana libram unam,
Olei Irini libras duas,
Pulpæ Colocynthidis uncias quatuor,
Polypodii uncias ſex.

Contundenda terantur & macerentur in Succis ac Oleis diebus octo in vaſe vitreo; poſtea addita

Fellis Taurini uncia una,
Coquantur ad aquoſarum partium

tium conſumtionem, colentur & exprimantur, in colato diſſolvantur

Ceræ unciæ quinque,

Et fere refrigeratis inſpergatur paulatim pulvis ſubſequens:

℞. Euphorbii,
Sagapeni,
Scammonii,
Aloes,
Colocynthidis,
Mezerei,
Turbith ana drachmas ſeptem,
Salis Gemmæ drachmas quinque,
Myrrhæ,
Piperis longi,
Zingiberis ana drachmas tres.

Miſce fiat Unguentum.

Illitum ſtomacho per vomitum purgat, hypogaſtrio autem inunctum alvum dejicit, ob id hydropicos juvat, ſeroſum excrementum evacuando, vermes quoque enecat & educit. Adhibetur iis qui purgans medicamentum ſumere nequeunt, imprimis puerulis, quamvis non ſemper cum ſucceſſu. Commendatur quoque in menſium ſuppreſſione umbilico inunctum.

UNGVENTVM BASILICVM SEV SVPPVRATIVUM.

℞. Ceræ flavæ,
Sevi Arietini,
Reſinæ,
Picis navalis,
Terebinthinæ Venetæ ana libram dimidiam,
Olei communis libras duas cum dimidia.

Diſcindantur Cera & Sevum, & groſſo modo cuntundantur Reſina atque Pix, poſtmodo in Oleo ad ignem lenem fundantur, & percolentur, deinde Terebinthina ad Unguenti conſiſtentiam commiſceatur.

Baſilicum ſive Regium vocatur a virtutibus præſtantibus. Digerit, maturat, ſuppurationemque promovet, tumoribus & vulneribus applicitum.

UNGVENTVM BERNHARDINVM.

℞. Axungiæ Porcinæ uncias ſex,
Sulphuris vivi uncias tres,
Olei Roſarum uncias duas,
Pulveris Caryophyllorum,
Granorum Paradiſi,
Zingiberis ana unciam ſemis.

Miſce fiat Unguentum.

Confert ad ſcabiem & pruritum.

UNGVENTVM CARDIACVM SCHROEDERI.

℞. Herbæ Cardiacæ,
Chamædryos,
Malvæ,
Senecionis,
Jaceæ,
Amaræ dulcis,

Scabio-

Scabioſæ,
Sempervivi,
MorſusGallinæ recentium omnium ana manipulos duos.

Incidantur & coquantur in Butyri recentis libris octo, ad conſumptionem aquoſitatis, deinde exprimantur & ſecundum artem fiat Unguentum.

Frequentis uſus eſt in affectu infantum, quem cardiacam appellant, fricant eo hypochondria & locum cardiæ.

UNGVENTVM COMITISSÆ GVILIELMI DE VARIGNANA.

℞. Corticis mediani Glandium,
Caſtanearum,
Quercus arboris,
Baccarum Myrti,
Equiſeti,
Gallarum,
Corticum Fabarum,
Acinorum Uvarum,
Calycum Glandium,
Sorborum immaturorum ſiccorum,
Meſpilorum acerborum ſiccatorum,
Foliorum Capparis,
Pruni Sylveſtris,
Radicis Tormentillæ ana unciam unam ſemis.

Contundantur aliquantulum, & coquantur in aquæ ſimplicis ſufficiente quantitate, donec media pars conſumta fuerit. Colatura ulterius coquatur cum
Olei Myrtillorum libra una ſemis, ad humiditatis aquoſæ conſumtionem, poſtea in ea diſſolvantur
Ceræ novæ unciæ octo ſemis,
Ab igne depoſitis addatur
Olei Maſtichini libra una ſemis,
Atque inſpergatur ſequentium tenuiſſimus pulvis:

℞. Corticis mediani Caſtanearum,
Glandium,
Quercus arboris ana unciam unam,
Gallarum,
Succi Hypociſtidis,
Cineris Oſſium cruris Bubuli,
Baccarum Myrti,
Acinorum Uvarum,
Sorborum immaturorum ana unciam ſemis,
Trochiſcorum de Carabe uncias duas.
Miſce, fiat Unguentum.

Unguentum hoc a Comitiſſa Vandrenſi, quam Author hoc Emplaſtro præſervavit ab abortu, commendatur, ab Authore l. 16. *de morbis cur. cap.* 4. *ad menſtrua ſupprimenda & abortum prohibendum: fœminei fluxus abundantiam compeſcit, locos muliebres firmat, uterum roborat ac renes la-*

 xat os

xatos ſtringit, hæmorrhoidumque ſuperfluum profluvium ſiſtit. Conſtat nempe ex adſtringentibus & ſiccantibus. In diarrhœis propterea quoque, ac in herniis conducit, ut & in diabete. Applicatur tum lumbis, tum pubi, tum umbilico, illinendo, vel mediante linteo imponendo.

UNGVENTVM CYDONIORVM.

℞. Malorum Cydoniorum in tenuiſſimas laminas conciſorum, coque in ſufficienti quantitate Vini rubri, ad conſumptionem libræ unius, colaturæ adde
Olei Roſarum,
Maſtichini ana libram ſemis.

Bulliant leniter ad conſumptionem Vini, cum modico Ceræ fiat Linimentum, addendo pulveris Caryophyllorum unciam unam ſemis, reſervetur uſui

Conducit ad roborandum ventriculum & fluxus præſertim alvinos ſiſtendos, abortumque præcavendum & menſium atque lochiorum fluxum nimium cohibendum.

UNGVENTVM CLYSMATICVM.

℞. Herbæ Malvæ,
Biſmalvæ,
Brancæ urſinæ,
Parietariæ,
Mercurialis ana manipulos quatuor,
Radicum Althææ,
Liliorum alborum ana uncias quatuor,
Florum Chamæmeli,
Meliloti ana manipulos tres,
Butyri recentis libras quinque.

Piſtentur ſimul, & ſic ſtent per menſem, poſtea coquantur & exprimantur.

Ex emollientibus conſtans emollit, lenit, digerit, dolores levat, duras fæces emollit ac ventrem blande ſubducit. Abdomini inflato, infantum præprimis, commode inungitur, adhibetur in clyſteribus, unde & nomen ſuum traxit, ad unciam dimidiam, unciam unam & ultra, vel etiam per ſe liquatum injicitur.

UNGVENTVM DIGESTIVUM MAGISTRALE.

℞. Olei Roſati,
Terebinthinæ ana libram unam,
Ceræ albæ libram dimidiam.

Laventur cum aqua Plantaginis & fiat Unguentum, nempe liquefiat Cera in Oleo Roſarum ad ignem, poſtea adjiciatur Terebinthina, & quando omnia refrigerata ſunt, laventur cum aqua Plantaginis: diutius hoc ſervari poteſt, quam illud, quod cum Vitello Ovi paratur.

Vulnerarium eſt, digerit & ad ſup-

ſuppurationem deducit, applicatur cum plumaceolis. Tempore uſus haud absque ratione admiſcetur Vitellum Ovi.

UNGVENTVM DIAPOMPHOLYGOS.

℞. Olei Solani uncias ſex,
Ceræ uncias tres,
Ceruſſæ uncias duas,
Plumbi uſti & loti,
Pompholygis,
Thuris puri ana unciam unam.

Miſce, fiat ſecundum artem Unguentum.

Prodeſt ulceribus calidis, ac iis quos acres & ſalſi humores infeſtant, refrigerat enim, ſiccat & conſolidat, nec non absque ullius acrimoniæ ſenſu cicatricem ducit, abſorbet enim acidum, acre & ſalſum ulcerum putrefactivum. Commendatur quoque ad epiphoram Oculorum.

UNGVENTVM FRIDERICI EPISCOPI.

℞. Olei Olivarum uncias octo,
Lythargyrii pulveriſati uncias novem,

Coquantur ad conſiſtentiam Unguenti, adde
Unguenti albi ſimplicis,
Populei ana libram unam.

Miſce, fiat lege artis Unguentum.

Vulnerarium eſt, ambuſtis medetur, pruritum cutis mitigat, ſcabiei convenit & dolores ſedat.

UNGVENTVM FVSCVM NORIMBERGENSIVM.

℞. Olei libram unam ſemis,
Ceræ novæ uncias quatuor,
Picis Navalis,
Colophoniæ,
Sagapeni præparati ana uncias duas,
Maſtiches,
Galbani præparati,
Thuris,
Terebinthinæ ana unciam unam.

Fiat Unguentum, Ceram cum Pice liquatam & colatam, poſtea ſemirefrigeratis Maſtichen & Thus pulveriſata, ut & Sagapenum, Galbanum & Terebinthinam invicem liquefacta, Oleo immiſcendo.

Dicitur & nigrum. Vulnera mundificat, emollit & concoquit, carnem generat, putridamque depaſcit.

UNGVENTVM AD HÆMORRHOIDES NORIMBERGENSIVM.

℞. Amyli albiſſimi,
Ceruſſæ lotæ,
Lithargyrii puri,
Plumbi uſti,
Tragacanthi ana drachmam unam ſemis,
Opii Thebaici,
Camphoræ ana ſcrupulum unum,
Albumen Ovi unius,
Olei Roſacei,
Violacei ana unciam unam ſemis,

Ceræ quantum ſatis.

Ceram in Oleis liquefaciendo, poſtea cum Camphora in Aceti deſtillati portiuncula diluta, reliquorum pulveres, & Albumen Ovi addendo, fiat Unguentum.

Ad dolentes hæmorrhoides & mariſcas utiliter admodum adhibetur.

UNGVENTVM INFRIGIDANS GALENI.

℞. Olei Roſati libram unam,
Ceræ albæ uncias tres.

Ceram in Oleo liquabis, & pauxillum Aceti Roſati adjicies.

Ubicunque refrigeratione & humectatione opus eſt, ejus uſus eſſe poteſt, hecticis prodeſt, nec non renum dolori a cauſa calida provenienti opem fert. Hecticorum dorſo & regioni renum inunctum calori depaſcenti & ſudoribus nocturnis & colliquativis obſtare dicitur.

UNGVENTVM DE LIQVIRITIA.

℞. Butyri recentis,
Liquiritiæ recentis ac ſucculentæ ana libram unam.

Piſtentur ſimul in mortario, poſteaque frigantur in ſartagine, colentur & exprimantur; tandem Butyro ſic præparato adde

Pompholygis drachmas duas,
Ceruſſæ lotæ uncias tres,
Albuminis Ovi conquaſſati unciam unam ſemis,
Camphoræ ſcrupulos duos.

Fiat ſecundum artem Unguentum.

Inflammationes partium leviores, puſtulas a ſero ſalſo productas, intertriginem & ſimiles affectus ſanat, ulceribus dolorificis a ſalſi ſeri acrimonia profectis confert, oculis medetur, humores acres mitigando, puſtulasque a ſanguine bilioſo acriore oriundas deſiccat. Conducit quoque fiſſuris papillarum in mammis lactantium.

UNGVENTVM DE LITHARGYRIO.

℞. Aceti Lythargyrii libram unam,
Olei Roſati libras duas ſive quantum ſufficit.

Miſce continuo agitando, donec in Unguentum linimentiforme abeat.

Prodeſt ſcabiei & cutis vulneribus, pruritum ac deſquamata juvat & ſiccat ſine morſu. Sarcoticum eſt & epuloticum, difficiliaque ulcera perſanat & cruenta glutinat.

UNGVENTVM MARTIATVM NORIMBERGENSE.

℞. Foliorum Lauri libras tres,
Rutæ libras duas ſemis,
Majoranæ libras duas,
Rorismarini libram unam ſemis,
Myrti,
Ebuli,

Bal-

Balſamitæ ſive Menthæ criſpæ,
Ocymi ana libram ſemis,
Butyri uncias quinque,
Styracis,
Medullæ Cervinæ,
Axungiæ Urſi,
Gallinæ ana uncias quatuor,
Maſtyches uncias tres,
Thuris uncias duas ſemis,
Olei Nardini unciam unam,
Olivarum libras ſex,
Ceræ libras quatuor.

Herbæ recentes omnes in Vini ſufficiente quantitate macerentur per aliquot dies, poſtea addito Oleo coquantur lento igne, ad humiditatis conſumptionem, tum colentur & exprimantur, additaque Cera & Axungiis invicem liquefactis, tandem adſperſis pulveribus fiat lege artis Unguentum.

Uſui eſt ad frigida corporis mala, capitis, thoracis, ſtomachi, jecoris, lienis, alioſque dolores a frigore natos, convulſiones, nervorum reſolutiones & coxarios juvat, tumores ac durities emollit, lieni indurato præcipue, ut & hydropi atque affectioni cardiacæ infantum confert.

UNGVENTVM AD MEMBRA PERVSTA GELV AVGVSTANORVM.

℞. Pinguedinis Cati ſylveſtris,
Sevi Cervini,
Olei Laurini,
Ceræ novæ ana unciam ſemis,
Camphoræ drachmam unam.

Diluatur Camphora in Spiritus Vini rectificati drachmis duabus, & reliquis invicem liquatis ex arte miſceatur.

Vires ex nomine patent.

UNGVENTVM DE MINIO CAMPHORATVM.

℞. Olei Roſati libram unam ſemis,
Minii uncias octo,
Tutiæ præparatæ,
Camphoræ ana drachmas tres,
Ceræ albæ uncias duas.

Liquatam Ceram cum Oleo, lento igne, miſce cum reliquis tenuiſſime tritis.

Refrigerat & ſiccat potentiſſime, ideoque ad ulcera, quæ humorum acrimonia ſerpunt, conducit. Inflammationem quoque tollit & præcavet.

UNGVENTVM NEAPOLITANVM.

℞. Argenti vivi uncias ſex cum dimidia,
Terebinthinæ Venetæ uncias quatuor,
Axungiæ Suillæ libras tres.

Agitando cum Terebinthina Argentum vivum per aliquot horas, ut exactiſſime mortificetur & poſtmodum admiſcendo axungiam, prius cum vino albo decoctam, fiat Unguentum.

Conducit ad ſcabiem, impetigines, herpetem, pruritum cutis, pediculos necat, etiam inguinales, pulices

lices atque cimices interficit, quem in finem etiam illinitur lectorum fulcris. Inſervit frictioni pro ſalivatione excitanda.

UNGVENTVM NEPHRITICVM.

℞. Unguenti Anodyni uncias duodecim,
Olei Anethi,
Chamomillæ,
Axungiæ Anſerinæ,
Gallinæ ana uncias tres,
Ceræ uncias duas.
Miſce fiat Unguentum.

Vires nomen indicat, quod ſcilicet doloribus renum medeatur, id quod etiam in aliis partibus præſtare poteſt.

UNGVENTVM NERVINVM AVGVSTANORVM.

℞. Herbæ Salviæ,
Chamæpityos,
Majoranæ,
Roriſmarini,
Menthæ,
Rutæ,
Lavendulæ,
Hyperici,
Paralyſeos cum flore,
Florum Chamæmeli,
Meliloti,
Summitatum Anethi,
Radicis Pyrethri ana drachmas duas,
Baccarum Lauri,
Juniperi ana unciam unam,
Maſtiches unciam ſemis,
Benzoes drachmas ſex,
Terebinthinæ uncias quatuor,
Olei Lumbricorum,
Vulpini,
Anethini,
Hyperici ana uncias tres,
Terebinthinæ unciam unam,
Axungiæ Humanæ,
Cati ſylveſtris,
Canis ana unciam ſemis.
Coquenda coquantur in Oleis, poſtea cum Axungiis, Terebinthina, & reliquis miſceantur in conſiſtentiam Unguenti.

Frigidos nervorum morbos tollit, ac doloribus eorundem opitulatur.

UNGVENTVM NICOTIANÆ.

℞. Foliorum Nicotianæ libras duas,
Pinguedinis Porci recentis diligenter lotæ libram unam,
Succi Nicotianæ depurati libram ſemis.
Herba recens contuſa cum ſucco & Pinguedine per noctem maceretur, mane igne lento coquatur ad humiditatis aqueæ conſumptionem, coletur & exprimatur. In expreſſo liquefaciendo
Reſinæ uncias quatuor,
Ceræ quantum ſatis eſt.
Additisque
Ariſtolochiæ rotundæ ſubtiliſſime

ſime pulveriſatæ unciis duabus

Fiat Unguentum.

Deſcribitur hoc Unguentum à Laurentio Jouberto in Pharmacopœa, cui miram in ſcrophulis diſſipandis vim ineſſe ait. Celebratur etiam in ulceribus, vulneribus, tam recentibus quam antiquis, perſanandis. Aduſta quoque, morphæam & tineam capitis juvat, ac cutim à ſcabie mundificat.

UNGVENTVM NIHILI AD OCVLOS AVGVSTANORVM.

℞. Tutiæ præparatæ,
Nihili albi ana unciam unam,
Corallorum rubrorum præparatorum,
Matris Perlarum ana unciam ſemis,
Camphoræ drachmam unam,
Pinguedinis Porci mundatæ libram unam.

Fiat lege artis Unguentum.

Calidas oculorum fluxiones demulcet ac ſiſtit, eorumdem rubedinem, nec non dolores inde natos aufert.

UNGVENTVM NVCLEORVM PERSICORVM.

℞. Pulpæ Nucleorum Perſicorum unciam unam ſemis,
Unguenti Roſacei uncias octo,
Olei Nucleorum Perſicorum expreſſi,
Papaveris ana parum.

Fiat Unguentum.

Confert ad dolores capitis, à cauſa, ut loquuntur, calida potiſſimum oriundos, eos mitigando & demulcendo.

UNGVENTVM OPHTHALMICVM RVBRVM BEZÆ.

℞. Lapidis Calaminaris præparati,
Tutiæ præparatæ,
Boli Armenæ,
Succini albi,
Matris Perlarum ana drachmas duas,
Camphoræ drachmam unam,
Sacchari Saturni ſcrupulos duos.

Miſce fiat pulvis, adde
Butyri recentis uncias novem.

Fiat Unguentum.

Conducit ad affectus oculorum, fluxiones, calorem, ruborem atque acrimoniam, exſiccat, lachrymas ſiſtit & arcet.

UNGVENTVM PECTORALE AVGVSTANORVM.

℞. Olei Amygdalarum dulcium uncias quatuor,
Chamæmelini,
Violati ana uncias tres,
Butyri recentis uncias ſex,
Adipis Gallinæ,
Anatis ana uncias duas,
Ireos drachmas duas,
Croci drachmam ſemis,
Ceræ uncias tres.

Ceram & Adipes in Oleis liquato, poſtea addito Ireos & Croci pulvere, fiat ſecundum artem Unguentum.

Laterum ac pectoris dolores mitigat, tuſſim ſedat, maturat, exſcreationem juvat, humores craſſos digerit & attenuat, prodeſt quoque in difficili reſpiratione, præſertim in infantibus.

UNGVENTVM PEDICVLORVM.

℞. Seminis Staphidisagriæ uncias duas,
Hellebori albi unciam unam,
Salis drachmas duas,
Argenti vivi uncias duas,
Axungiæ Porcinæ libram unam,
Olei Laurini uncias novem,
Saponis libram ſemis.

Fiat Unguentum ſecundum artem.

Sapo in Lixivio communi ſolutus, cum Oleo coquatur ad humiditatis aquoſæ conſumtionem, poſtea Mercurius cum Axungia ſubactus, & reliquorum pulvis commiſceantur.

Pediculis Pinguedo porcina in deliciis eſt, cui ſi Mercurius commixtus fuerit, item ſemen Staphidiſagriæ, Hyoſcyami, aut quoddam aliud venenum dulce vel inſipidum aut inodorum, facile miſcelam devorant, mortemque ſibi conſciſcunt.

UNGVENTVM POMATVM AVGVSTANORVM.

℞. Axungiæ Suillæ libras tres ſemis,
Styracis Calamitæ,
Aſæ dulcis,
Radicum Ireos Florentinæ,
Cinamomi,
Caryophyllorum ana unciam unam,
Pomorum Citri,
Aurantiorum ana numero duo,
Borsdorfferianorum numero quatuor.

Omnia ſecundum artem ad humiditatis aqueæ conſumptionem coquantur, colentur, & juncta Ceræ albæ ſufficiente quantitate fiat Unguentum, cum aqua Roſarum aliquandiu agitandum.

Nomen habet a Pomis ingredientibus, ad oris fiſſuras & decorem cuti conciliandum, ad capillos eo inungendos utiliter adhibetur.

UNGVENTVM POPVLEVM NICOLAI.

℞. Oculorum ſive Gemmarum Populi arboris recentium libram unam ſemis,
Axungiæ Porcinæ præparatæ libras duas.

Oculi Populi contundantur & macerentur in Axungia, donec ſequentes herbæ per æſtatem colligi queant; ſcilicet:

℞. Cymarum Rubi tenerrimarum,
Foliorum Papaveris albi,
Mandragoræ,
Hyoſcyami,
Herbæ Solani,

Ver-

Vermicularis, id eſt,
Sempervivi minoris,
Lactucæ,
Sempervivi majoris,
Bardanæ,
Violariæ,
Umbilici Veneris
ana uncias tres.

Herbæ contundantur & miſceantur Oculis Populi & Axungiæ, deinde coquantur lento igne ad humiditatis aqueæ conſumtionem, colentur & exprimantur.

Demulcet, inflammationes temperat, dolores capitis ſedat, ſomnumque conciliat, unde in febrium ardoribus fronti, temporibus, manuum ac pedum pulſibus, vel per ſe, vel cum Unguento Alabaſtrino, vel cum Roſaceo, aut Violaceo illinitur. Conducit quoque ad hæmorrhoides dolentes & ambuſta, lac quoque diſſipat in mammis. Quidam ut vireſcat magis hoc Unguentum, ac refrigerandi facultate ſit efficacius, coctioni addunt Solani triti manipulos duos. In defectu foliorum Mandragoræ augeri poteſt quantitas Hyoſcyami, pro Umbilico vero Veneris herba Paris aſſumenda.

UNGVENTVM RESVMTIVUM FERNELII.

℞. Seminis Lini,
Althææ,
Fœnugræci,
Gummi Arabici,
Tragacanthi ana drachmas duas.

Macerentur & bulliant in libra ſemis aquæ ſimplicis, eliciatur mucilago, quæ cum
Butyri recentis libra dimidia,
Adipis Suilli,
Gallinæ,
Anſeris,
Anatis ana unciis duabus,

Coquatur ad humiditatis aquoſæ conſumptionem, poſtea addantur
Oeſypi uncia ſemis,
Olei Violarum,
Chamæmeli,
Amygdalarum dulcium ana unciæ duæ,
Medullæ Vituli,
Ceræ ana libra ſemis.

Fiat ſecundum artem Unguentum.

Adhibetur aſthmaticis, hecticis, tabidis, pleuriticis ac e longo morbo emergentibus, quibus nuda cutis oſſa veſtit. Præſcribitur imprimis de dorſi calore moleſto querentibus & ſpinæ dorſi inungi ſolet.

UNGVENTVM EX RHAMNO ET FRANGVLA MINDERERI.

℞. Radicum recentium Scrophulariæ uncias duas,
Enulæ,
Lapathi acuti,
Chelidonii majoris,

Corticum medianorum Frangulæ, Rhamni ana recentium unciam unam,
Butyri recentis uncias ſedecim,
Piſtentur ſimul fortiter, poſteaque, additis
Aceti Rutacei unciis quatuor, coquantur ad humiditatis aquoſæ conſumtionem, colentur & fortiter exprimantur, deinde addantur
Terebinthinæ Venetæ drachmæ ſex,
Styracis liquidæ drachmæ tres,
Vitelli Ovorum numero quatuor,
Salis Nitri drachma una ſemis,
Sulphuris vivi drachma una,
Aceti Scillini drachmæ ſex.

Miſceantur omnium primo Terebinthina cum Styrace & vitellis Ovorum, poſtea, additis reliquis, fiat Unguentum.

Ad cutis vitia ex ſcabie utile eſt, tutius longe, ex mente Authoris, omnibus mercuriatis.

UNGVENTVM ROSATVM SIMPLEX.

℞. Axungiæ Porcinæ libram unam,

Lavetur ſæpiſſime aqua ſimplici & tandem aqua Roſarum quantum ſufficit, donec albiſſimum & bene odoratum redditum fuerit Unguentum.

Cephalalgiæ mederi ac hæmorrhoidum inflammationem demulcere dicitur, refrigerat inſuper, viresque reſtaurat & conſervat, dolores quoque mitigat, imprimis articulorum. Præbet quoque ob ſuavem odorem quorumdam ſimplicium, quæ exterius applicare volumus, vehiculum. In tuſſi infantum cum Unguento rubro potabili commendatur.

Si camphora addatur exurgit

UNGVENTVM ROSATVM CAMPHORATVM.

UNGVENTVM RVBRVM FELICIS WURTZII.

℞. Herbæ Scrophulariæ,
Polygoni,
Chelidonii,
Veronicæ ana manipulum unum.

Inciſæ infundantur in Aceto ad eminentiam trium digitorum, per octo dies,
Hujus aceti unciis tribus adde
Terræ Vitrioli dulcis
Phlegmatis Vitrioli ana uncias duas,
Mellis deſpumati uncias ſex,
Viridis Æris drachmas decem.
Coque ad conſiſtentiam.

Ad vulnera mundificanda, putridamque carnem depaſcendam laudatur.

UNGVENTVM RVBRVM POTABILE.

℞. Butyri recentis ſine Sale libras tres,
Radicis Alcannæ, Tor-

Tormentillæ,
Sanguinis Hirci,
Spermatis Ceti ana unciam unam.

Coquantur ſimul in Vino rubro ad conſumtionem Vini, fiat ſecundum artem Unguentum.

Eorum qui ex alto ceciderunt vulnera interna glutinat, ſanguinem concretum diſſolvit, ut & concuſſis auxilio eſt. Sumitur cochleare unum aut alterum cum juſculo calido. Externe potiſſimum in affectibus pectoris, tuſſi ferina &c. commendatur.

UNGVENTVM SAMBVCINVM.

℞. Corticis Sambuci mediani.

Coque in ſufficiente quantitate Olei Olivarum & ſerva.

Medetur ambuſtis & dolores, imprimis a veſicatoriis, excitatos, mire ſedat, præſertim ſi commiſceatur cum Balſamo Sulphuris Rulandi.

UNGVENTVM SANTALINVM.

℞. Boli Armenæ drachmas ſex,
Florum Papaveris erratici recentium unciam unam,
Roſarum rubrarum recentium uncias duas,
Santali albi,
citrini ana drachmas ſex,
rubri drachmas decem.

In pulverem redigantur, bulliant igne moderato in Olei Roſati libra una, ad conſumtionem humidi, exprime, cola & adde
Camphoræ drachmas duas,
Ceræ quantum ſatis.

Fiat Unguentum.

Hepati & Lieni præſertim dicatum, virtute adſtrictoria etiam quadantenus gaudet.

UNGVENTVM SOMNIFERVM.

℞. Unguenti Populei,
Alabaſtrini ana uncias duas,
Olei Hyoſcyami,
Nymphææ ana unciam unam,
Opii in Aqua Roſarum ſoluti drachmas duas,
Croci optimi ſcrupulos duos,
Ceræ unciam ſemis vel drachmas ſex.

Miſce, fiat Unguentum.

Vires nomen indicat.

UNGVENTVM SPLENETICVM.

℞. Olei Capparum,
Chamomillæ,
Liliorum alborum,
Anethi ana uncias duas,
Pulveris ſeminis Anethi,
Agni caſti,
Plantaginis ana drachmas duas,
Herbæ Scolopendrii,
Abſinthii,
Meliloti,

Corticis Capparum,
Tamariſci ana ſcrupulos quatuor,
Gummi Ammoniaci drachmas ſex,
Bdellii drachmas tres,
Ceræ citrinæ quantum ſufficit.
Fiat Unguentum.
Vim habet calefacientem, emollientem, reſolventem, aperientem, roborantem.

Penetrandi gratia addi poteſt Olei Spicæ, vel Olei ſtillatitii Abſinthii drachma dimidia.

UNGUENTUM STOMACHALE.

℞. Olei Cydoniorum,
Maſtiches,
Menthæ,
Abſinthii ana uncias quatuor,
Pulveris Maſtiches,
Menthæ,
Caryophyllorum,
Nuciſtæ,
Galangæ,
Cinamomi,
Abſinthii,
Spicæ Indicæ ana drachmam unam,
Ceræ citrinæ uncias quatuor,
Olei Caryophyllorum ſcrupulos duos.
Miſce fiat Unguentum.
Eſt Stomachale Balſamum. Roborat inſuper Cor & vitalem facultatem.

UNGUENTUM AD TABEM.

℞. Olei Laurini,
Maſtiches,
Juniperi ana drachmas ſex,
Laterini
Caſtorei,
Spicæ ana unciam ſemis,
Petræ drachmas duas,
Axungiæ Caponis,
Cati ſylveſtris,
Anatis,
Gallinæ ana unciam unam,
Pulveris Euphorbii drachmas duas,
Aluminis plumoſi,
Sabinæ ana drachmam unam ſemis,
Medullæ Bovinæ unciam unam,
Saponis Veneti,
Spiritus Vini ana uncias duas.
Miſce, fiat Unguentum.
Aridura partium laborantibus commendatur.

UNGUENTUM CONTRA VERMES.

℞. Olei Abſinthii,
Amygdalarum amararum,
Tanaceti,
Rutæ ana unciam unam ſemis,

Pul-

Pulveris Aloes,
Corallinæ,
Colocynthidos,
Seminis Cinæ,
Lupinorum,
Abſinthii ana drachmam unam,
Fellis Taurini inſpiſſati unciam unam,
Ceræ quantum ſufficit.
Miſceatur.

Umbilico & ventri inunctum vermes necat & expellit.

UNGVENTUM VIRIDE POTABILE.

℞. Herbæ Salviæ,
Hyſſopi
Marrubii,
Menthæ,
Betonicæ,
Scolopendrii,
Scabioſæ,
Cichorii,
Fœniculi,
Meliſſæ,
Veronicæ,
Matriſylvæ,
Aquilegiæ,
Rutæ,
Petroſelini,
Millefolii,
Centaurii minoris,
Agrimoniæ,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Plantaginis cum toto ana manipulos duos,
Butyri Majalis libras ſeptem.

Infundantur Herbæ omnes quælibet ſuo collectionis tempore in Butyro & ſtent donec omnes ſint collectæ & infuſæ, poſtea coque ad conſumptionem aquoſitatis & Butyrum calide expreſſum & colatum ſervetur.

Non tantum externe adhibetur, ſed etiam interne, datur ruptis, convulſis ac ex alto prolapſis, ubi grumoſi ſanguinis ſuſpicio ſubeſt, ſugillata curat, dolores partium lenit, eſtque ad varios uſus accommodatum. Sumitur cochleare unum aut alterum in juſculo.

CLASSIS VIGESIMA SEPTIMA

VARIORVM REMEDIORVM TVM CHYMICORVM, TVM ALIORVM, QVORVM IN SVPERIORIBVS MENTIO FACTA NON FVIT.

ÆRIS USTIO.

Æris bracteæ in fictile immittantur, interpoſito inter ſingulas lamellas Salis communis, aut Sulphuris pulvere, atque ſic ſtratum ſuper ſtratum paretur, quod igne ſufficienter uratur: Calx vel cinis relictus aqua calida ſæpius adfuſa edulcoretur; qui rubicundus evadit a Sale vel Nitro, niger autem, ſi cum Sulphure præparetur.

Interne non adhibetur, ſed tantummodo externe, ad Emplaſtra & Unguenta mundificantia & abſtergentia.

ÆTHIOPS MINERALIS CVM COMBVSTIONE ET ABSQVE COMBVSTIONE.

℞. Argenti vivi & Sulphuris citrini ana quantum placet, Miſce exactiſſime in mortario lapideo, convertitur ſic Argentum vivum & Sulphur in pulverem nigrum. Aut ſi potius tibi arridet, linquas iterum leni igne deflagrare Sulphur, reſtabit idem pulvis niger, Æthiops mineralis cum combuſtione dictus.

Eſt ſpecificum ad expellendos vermes remedium, ubi puero tredecim, verbi gratia, annorum ad ſcrupulum, ad drachmam ſemis adhiberi poteſt mane & veſperi, quarto tamen quoque die alvum laxando. Conducit quoque in gonorrhœa virulenta & in ſcabie.

ALOES VIOLATA.

℞. Aloes optimæ quantum volueris, ſuperfunde infuſi Violarum ſaturati quantum ſatis eſt, ſtent in leni calore, ſæpius movendo, donec Aloë ſoluta fuerit, ſeparetur a fæcibus, colatura clara inſpiſſetur in Sole, vel loco calido, ad juſtam craſſitiem.

Hanc plurimi Pilulas Francofurtenſes conſtituere putant. Doſis ad

ad grana decem, ſcrupulum unum & ultra.

ALUMINIS USTIO.

℞. Aluminis quantum volueris; ponatur in fictile novum, & tamdiu uratur, donec totum Alumen, ſpiritibus expulſis, poroſum & quaſi ſpumoſum evaſerit. Obtinetur quoque in deſtillatione Spiritus Aluminis.

Ad carnes luxuriantes abſumendas adhibetur.

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM.

℞. Antimonii optimi libram unam,
Nitri depurati & ſiccati libras tres.

Pulveriſata & bene mixta in crucibulum ignitum ſucceſſive injiciendo detonentur, quo peracto aqua fontana frigida copioſa maſſa diluatur & commovendo pulvis ſubtilior cum ea decantetur, exſiccandus poſtquam reſederit & probe edulcoratus fuerit. Poteſt etiam mixtura integra carbone ardente tangi & accendi, & deinde poſt detonationem calcinari. Aqua vero exhalando ſuppeditat.

NITRUM ANTIMONIATUM.

Quod ſeorſim pro uſu eſt adſervandum.

Antimonium diaphoreticum, quod debet eſſe albicantisſimum, acidum abſorbet, ſanguinem mundificat, vim habet diapnoicam, diaphoreticam & alexipharmacam, hinc in cruditatibus acidis, ſoda, ſcabie, febribus intermittentibus continuis & malignis, pleuritide eryſipelate &c. uſurpatur. Doſis eſt ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis &c. Nitrum Antimoniatum refrigerat urinam atque ſudorem ciet, ſimulque leniter alvum laxat, conducit in febribus & faucium inflammationibus. Doſis eſt ad grana ſex, ad ſcrupulum; immiſcetur etiam Gargarismatibus & Epithematibus atque Clyſteribus.

ANTIMONII FLORES.

℞. Antimonii ſelecti libram unam.

Tere in ſubtilem pulverem, & ex vaſe terreo in aludel, ſive ollas artificioſe ſibi incumbentes, adplicato ſuperne alembico roſtrato, ſublima ſecundum artem, dando ignem moderatum, ne Antimonium fluat, Floresque diverſi coloris ſeparatim colligendo & ſervando.

Vehementer ἄνω *&* κάτω *purgant. Doſis ad grana duo, quatuor, nunquam per ſe exhiberi debent, ſed in vino infunduntur & vinum ſolummodo bibitur.*

ARCANUM DUPLICATUM SEU SAL CACHECTICUM NITRATUM SIVE PANACÆA HOLSTEINENSIUM.

Extrahitur cum aqua calida ex capite mortuo, a deſtillatione

Aquæ fortis, ex Vitriolo & Nitro paratæ, reſiduo, qui liquor dein decantetur & poſt filtrationem ac debitam exhalationem reponatur, ut in cryſtallos concreſcat, quæ exſiccentur.

Quodſi Caput mortuum in deſtillatione prægreſſa non ſatis calcinatum fuerit, ulteriori calcinatione, vel Liquoris Nitri fixi inſtillatione, pro hoc negotio prius accommodari poterit.

Polychreſtum dicitur eſſe remedium, in quavis febre intermittente, malo hypochondriaco, melancholia hypochondriaca, aliisque morbis chronicis menſiumque affectibus. Lymphæ quoque vitia & copiam, nunc, diaphoretica, nunc diuretica vi corrigit. Blandam quoque virtutem anodynam & ſomniferam posſidet, unde in vigiliis diuturnis a quibusdam adhibetur. Datur ad ſcrupulum unum & ultra.

ASELLORVM PRÆPARATIO.

℞. Aſellorum elotorum, ſive Millepedarum quantum volueris; moderato calore exſiccentur & pulveriſentur, poſtea imprægnentur Vino, quantum imbibere poſſunt, iterumque exſiccentur.

Reſolvunt, aperiunt & abſtergunt, commendantur in angina, aſthmate, hydrope, urina & calculo pellendis. Hæmorrhoidibus dolentibus medentur. Dantur ad ſcrupulum unum, ad drachmam usque.

AVRVM FVLMINANS.

℞. Auri laminati & in fruſta inciſi quantum vis, ſolve digerendo in Aqua Regia, ſolutioni infunde guttatim bonam quantitatem Olei Tartari per deliquium, donec ſolutio clara evadat, ſic præcipitabitur Aurum, Sale omni ex parte præcipitato, elue ſalſedinem aqua communi, Calcemque Solis in umbra ſponte ſua, quod tutius, exſiccari permitte, ſic paratum eſt Aurum Fulminans.

Præter vim fulminantem inſignem, vires quoque medicas obtinet, diaphoreticum enim eſt, atque catharcticum & præſertim in epilepſia puerorum a torminibus alvi excitata. Datur ad granum unum, grana duo & paulo ultra.

AXVNGIARVM SIVE ADIPVM PRÆPARATIO.

Adeps quivis, cum raro, aut nunquam purus eſſe ſoleat, ſed ſanguine aliisve recrementis pollutus, non immerito præparationem ſubire tenetur. Unde a membranulis & venulis liberatus multoties aqua lavetur, donec ea non amplius inficiatur, poſtea leni

leni calore ab adhærente humiditate aquea liberetur, poſt liquationem coletur.

LIQVIRITIA IN BACVLIS, VULGO, SED MALE, COCTA DICTA.

℞. Pulveris Liquiritiæ uncias duas,
Sacchari albi libram unam,
Croci Orientalis ſcrupulum unum.

Miſceatur ſimul Saccharum cum Liquiritia, Crocus autem per ſe cum mucilagine Tragacanthæ bene agitetur in mortario & fiant bacilli in forma Liquiritiæ, ſiccentur calore fornacis, unde, ſed male, Liquiritia cocta appellatur.

Lambuntur in tuſſi & raucedine, a materia acri proveniente.

LIQVIRITIA ALBA IN BACVLIS.

℞. Pulveris Amyli albiſſimi drachmas ſex,
Radicis Ireos Florentinæ unciam ſemis.
Gummi Arabici drachmas duas,
Tragacanthi albi,
Pulveris Liquiritiæ,
Specierum Diatragacanthi frigidi,
Diaireos ana drachmam unam.

Miſce, addatur Sacchari finiſſimi libra una, ponderis civilis, Cum mucilagine Trangacanthi in aqua Acaciarum, fiant Liquiritia in baculis aut Trochiſci.

Uſurpatur eodem modo & in iisdem morbis, magis incraſſat.

BEZOARDICVM MARTIALE SIVE PVLVIS CACHECTICVS LVDOVICI.

℞. Antimonii pulveriſati uncias ſex,
Limaturæ Martis uncias quatuor,
Nitri depurati libras duas ſemis.

Detonentur, calcinenturque continuo agitando & poſtea maſſa edulcoretur.

Prodeſt in morbis cachecticis & febribus cum diarrhœa conjunctis, item in dyſenteria epidemica. Datur ad ſcrupulum, ad drachmam ſemis.

BEZOARDICVM MINERALE.

℞. Mercurii vitæ uncias ſex,
Nitri depurati libram unam ſemis.

Calcinando & edulcorando paretur ad modum Antimonii diaphoretici.

Diaphoreticum eſt atque alexipharmacum, unde in febribus continuis, malignis, epidemicis, contagioſis multi uſus eſt. Doſis ad grana quinque, ad ſcrupulum unum & paulo ultra.

BEZOARDICVM SOLARE.

Fit ex Reguli Martialis Stellati unciis tribus ſemis,
Auri puriſſimi uncia ſemis.

Fuſis ac effuſis in Regulum, qui pulveriſatur & cum triplo Nitri miſcetur, poſt in crucibulo calcinantur, detonantur, inque aqua extinguuntur & edulcorantur, poſt exſiccantur ac rurſus in crucibulo liquefiunt & poſt calcinationem iterum in aqua extinguuntur, moreque ſolito edulcorantur & ſiccantur.

Vſus ad Salia heterogenea maſſæ ſanguineæ domanda, in febribus continuis, tam malignis, quam aliis. Vires obtinet cordiales & alexipharmacas. Commendatur ad arthritidem vagam, podagram inveteratam, ſcorbutum, luem veneream, lepram. Doſis ad ſcrupulum ſemis, ſcrupulum unum, drachmam ſemis.

BOLI ARMENÆ PRÆPARATIO.

Liquata Bolus in aqua pura agitetur, & aqua tenuiſſimo polline ſaturata turbidaque facta effundatur, ac nova ſuperinfuſa aqua labor toties repetatur, donec clara remaneat, lapilli autem & arenulæ in fundo hæreant. Tandem pulviſculus ita decantatus paulatim ſubſidere permittatur, atque, effuſa aqua, exſiccetur. Aquam autem roſaceam, Acetum, Vinum, ſimilemve liquorem medicatum huic operi ſine neceſſitate adhiberi, cenſemus.

Vires dicitur obtinere alexipharmacas, acidum abſorbentes & adſtringentes. Exhibetur ad ſcrupulum unum, ſcrupulos duos &c.

BVTYRVM ANTIMONII.

℞. Mercurii ſublimati corroſivi,
Antimonii electi ana libram unam.

Pulveriſata in mortario marmoreo optime miſceantur, cavendo a fumo exhalante, & retortæ, tertiam circiter ejus partem vacuam linquendo, injiciantur, ſuperinfuſo uno alterove aquæ ſimplicis cochleari; poſtea ex arena fiat deſtillatio in liquorem craſſum inſtar Butyri, quem dein Cinnabaris, ſenſim ad latera colli retortæ adhærens, inſequitur; quæ, fracta retorta, colligatur, & aliquoties aqua fontana abluatur; Butyrum vero per reſidentiam depuretur.

Butyrum ſive Oleum Antimonii glaciale obtinet vim cauſticam, ſuperfluam carnem exedit & ulcera calloſa abſtergit. Vſurpatur ad Mercurium vitæ exinde parandum, per aquæ affuſionem.

BV-

BUTYRUM MAJORANÆ.

Fit coquendo cum Butyro ſummitates Majoranæ, donec Butyrum bene ſit impregnatum & viride.

Conducit in affectibus narium, eorumdem ſcilicet obſtructione, præſertim in infantibus, illinitur radici, dorſo & cavitatibus narium.

CANDELÆ FUMALES.

℞. Styracis Calamitæ,
Carbonum Salicis ana uncias duas,
Benzoes unciam unam,
Caryophyllorum unciam ſemis,
Ladani drachmas ſex.

Cum Terebinthina Cypria & mucilagine Tragacanthi in aqua Roſarum facta fiant Candelæ.

Uſus ex nomine patet.

CERA ARBOREA.

℞. Ceræ citrinæ,
Reſinæ ana libras duas, ponderis civilis,
Terebinthinæ uncias duodecim.

Fiant Magdaleones tingendi Curcuma.

Ex nomine Vires.

CERATUM SIVE BALSAMUM AD BARBAM.

℞. Ceræ albæ uncias duas,
Terebinthinæ Venetæ unciam unam,
Gummi Elemi unciam ſemis,
Olei Ligni Rhodii guttas quindecim,
Amygdalarum dulcium drachmam unam.

Miſce.

CINNABARIS ANTIMONII.

Quomodo paretur ſub Butyro Antimonii dictum. Rectificari autem debet & in colore exaltari commiſcendo ſuboctuplæ parti ponderis Sulphuris pulveriſati, ac una ſublimando, ſic ſublimatum exſurget intenſioris rubedinis & magis nitentis, quam quæ Cinnabari inerat ante hanc rectificationem.

Habetur pro ſpecifico in affectibus capitis atque nervorum, in vertigine, convulſionibus, epilepſia, febribus continuis & malignis, in morbis contagioſis & iis omnibus ubi ſerum acre & auſterum peccat & coagulationem ſanguinis minatur. Conducit in morbillis, variolis, nervoſarum partium doloribus, arthritide, paralyſi &c. Operatur utplurimum per ſudorem. Doſis eſt ad gra-

grana ſex, ad ſcrupulum, drachmam ſemis &c.

CINNABARIS FACTITIA.

℞. Partem unam Sulphuris, quam liquefacies in magno fictili, huic paulatim permiſcebis fluentis Mercurii partes tres, agita & fuſionem continua, donec nullus omnino appareat Mercurius, tunc mixturam hanc pulveriſa & ſublima in ollis, igne aperto gradatim adhibito, habebis maſſam duram ac rubicundiſſimam.

Non quidem multi uſus eſt in Medicina, ſed ratio non patet, cur non in morbis capitis & nervorum, febribus, colica, morbis ſpaſmodicis & convulſivis æque ac Cinnabaris nativa, & in eadem doſi, adhibeatur.

CINNABARIS NATIVA PRÆPARATA.

Præparatur lævigando cum Aqua Roſarum.

Factitiæ præfertur, in morbis præſertim capitis & nervorum, convulſionibus, aliisque motibus mitigandis. Datur ad grana quinque, ſcrupulum unum.

CLYSSVS ANTIMONII SIVE MINERALIS.

℞. Antimonii crudi,
Nitri pulveriſati ſicciſſimi ana uncias quatuor,
Sulphuris citrini unciam ſemis.

Pulveriſata & mixta, per vicem retortæ tubulatæ in furno reverberii poſitæ candenti, cui recipiens magnum quantitate quadam aquæ repletum, juncturis bene clauſis, ſit appoſitum, injice & detona, quo peracto rectificatur liquor, abſtrahendo nimium phlegma & remanebit ſpiritus acidus.

Attenuat, aperit, per alvum, per urinam & per ſudorem expurgat, convenit in exæſtuatione ſanguinis, hinc in febribus continuis, ardentibus etiam & malignis prodeſt. Immiſcetur vel potui ordinario, vel Julapiis. Doſis guttæ tres, ad decem, viginti & ultra.

CONCHÆ PRÆPARATÆ.

Calcinantur & lævigantur in porphyrite.

Acidum invertunt & deſtruunt, ſudorem & urinam cient. Doſis ad ſcrupulum, ad drachmam usque.

CORALLIA RVBRA ET ALBA PRÆPARATA.

Præparantur in genere ſola lævigatione ac tritura, conſpergendo ſubinde, vel humectando inter lævigandum aqua aliqua deſtillata, pro lubitu

Co-

Commendantur pro ſcopo abſorbendi, confortandi & adſtringendi, doſis ad drachmam ſemis &c.

CORIANDRI PRÆPARATIO.

Coriandri ſemina modico Aceto irrigantur, deinde ſiccantur & reponuntur.

Commendatur ob Sal volatile oleoſum aromaticum ad ventriculum & caput roborandum. Incidit viſcidum & flatus diſſipat, vertiginique ſtomachicæ medetur. Præſtat autem illud ſimpliciter exſiccatum adhibere.

CORNV CERVI PHILOSOPHICE CALCINATVM.

℞. Cornu Cervi in majora fruſta ſecti quantum placet. Coquantur in ſufficiente quantitate aquæ fontanæ, donec molleſcant; poſtea medulla & cortex exterior nigricans cultro ſeparentur, & Cornu albicans exſiccetur.

Abſorbet acidum, diapnoicum eſt & diaphoreticum, laudatur in febribus intermittentibus & continuis, variolis & morbillis, ut & in alvi fluxibus, datur ad drachmam ſemis & ultra.

CORNV CERVI PRÆPARATVM.

Cornu Cervi uſtum in lapide Porphyrite minutiſſime cum aqua Roſacea teritur, & exſiccatur.

Siccat & adſtringit, catarrhos inhibet, ſudores ciet, fluxus alvi ſedat, inteſtina roborat, ſingulariter vermes necat, conducit in febribus, tam intermittentibus, quam continuis. Doſis ad drachmam usque.

CRANII HVMANI PRÆPARATIO.

℞. Raſuram Cranii humani violenta morte peremti; ab omni immunditie & pinguedine liberati quantum volueris, contundatur, & cum aqua Liliorum Convallium minutiſſime teratur, poſtea exſiccetur.

Virtutes adſcribuntur cephalicæ & imprimis epilepticæ. Doſis ad drachmam usque.

CREMOR ET CRYSTALLI TARTARI.

℞. Tartari albi aqua calida aliquoties ab impuritatibus externis abluti, & in pulverem ſubtilem contuſi libras duas, coquendo in ſufficiente quantitate aquæ fontanæ in vaſe figulino diſſolvantur, & fervens adhuc decoctum trajiciatur per manicam Hippocratis in aliud vas firmum; ubi refrixerit, Cryſtallos exhibet, in ſuperficie autem liquoris, cruſtam Cremoris nomine notam; qui cum Cryſtallis aliquoties frigida aqua abluatur, & exſiccatus ſuper

porphyrite in pulverem albiſſimum conteratur.

Craſſos ac viſcidos humores incidunt, aperiunt, alvum blande ſubducunt, purgantium vires intendunt, in obſtructionibus viſcerum, affectu hypochondriaco, hydrope, cachexia, ſcorbuto, febribus &c. conducunt, ventriculum roborant & appetitum excitant. Doſis per ſe ad ſcrupulum unum, drachmam unam, drachmas duas. Sunt qui ad unciam, ad uncias duas, pro ſcopo laxandi, aſſumunt. Nota quod in liquore frigido aqueo non diſſolvantur.

CRETA ALBA PRÆPARATA.

Eodem, ac Corallia, modo præparatur.

Acidum abſorbet, in ardore ſtomachi conducit. Doſis ad ſcrupulum, usque ad drachmam.

CROCVS MARTIS ADSTRINGENS.

℞. Limaturæ Martis quantum lubet.

Igne reverberii eo usque calcina, donec ſpongioſa in ſuperficie adpareat, ac in florem rubicundiſſimum abeat.

Commendatur in fluxibus alvinis aliisque. Doſis eſt ad grana quindecim, ad drachmam.

CROCVS MARTIS APERIENS.

℞. Limaturæ Martis puriſſimæ quantum placet, extendatur in patina & humectetur aqua ſimplici vel pluviali, exponatur radiis ſolaribus aut alii calori & ſiccetur; rurſus teratur & iterato humectetur & ſiccetur, laborque tam diu reiteretur donec limatura in pulverem croceum perfectiſſime fuerit mutata.

Aperientem ob vim commendatur ad obſtructiones meſenterii, pancreatis, hepatis & lienis. Convenit menſium obſtructione, cachexia & chloroſi laborantibus. Doſis ad ſcrupulum unum, ad ſcrupulos duos.

CROCVS MARTIS SVLPHVRATVS.

Vide Pulverem cachecticum Bœcleri.

CROCVS METALLORVM.

℞. Antimonii electi,
Nitri ana libram unam.

Minutiſſime terantur & in crucibulo vel catino firmo accendendo mixturam carbone ardente detonetur, poſtea maſſam exemptam in aqua ſolvendo pars ſubtilior eluatur, ac poſtquam hæc ſubſederit, aqua decantetur, novaque adfuſa aqua pulvis probe eluatur, liquor autem decantatus & cum Aceto præcipitatus dat ſic dictum

SVLPHVR ANTIMONII AVRATVM DIAPHORETICVM.

Vomitum fortiſſime ad aliquot grana datus ciet crocus, ſed per ſe non

non debet, niſi brutis, exhiberi, inſervit alias pro Tartaro emetico, Oxyſaccharo emetico & Vino emetico parandis.

DECOCTVM LAXATIVUM MANAGETTÆ.

SIVE AQVA LAXATIVA VIENNENSIVM.

℞. Foliorum Sennæ electæ drachmas ſex,
Cremoris Tartari drachmas duas,
Paſſularum minorum,
Confectionis ſeminis Coriandri ana drachmas tres.

Inciſa & contuſa infundantur per viginti quatuor horas in aquæ fontanæ bullientis unciis quatuordecim, poſtea bulliant parumper & colentur cum leni expreſſione.

Laudatur ad alvum laxandam, præſertim ſi in modo dicti Liquoris unciis aliquot Manna ſolvatur & poſtea clarificatio inſtituatur.

DENTIVM APRORVM PRÆPARATIO.

℞. Dentium Aprorum pulveriſatorum quantum volueris, conterantur cum ſufficienti quantitate
Aquæ Cardui Mariæ, donec in tenuiſſimum pollinem abeant, qui exſiccetur.

Abſorbent acidum & ſpecifice in pleuritide & aliis inflammationibus commendantur. Doſis ad ſcrupulum, ad drachmam ſemis & ultra

Eodem modo

DENTIVM HIPPOPOTAMI ET LVPORVM,

Qui in virtute cum ante dictis dentibus conſpirant,
Præparatio inſtituitur.

DIACODIVM SOLIDVM.

℞. Seminis Papaveris albi unciam ſemis,
Aquæ Farfaræ,
Roſarum ana unciam unam ſemis.
Fiat Emulſio in qua diſſolve
Sacchari albiſſimi uncias quatuor,
Fiat Confectio in Rotulis, quæ ſemper recenter debet parari.

Conducit in tuſſi ab acredine orta, phthiſi &c. ubi in ore Rotulæ liquantur & ſucceſſive deglutiuntur: demulcent & irritationem ſiſtunt.

EBVR VSTVM SIVE SPODIVM EX EBORE.

℞. Eboris ſelecti in tenues lamellas ſeu fruſtula diſſecti libram unam: id in fictili mundo, quod in ſummitate nonnihil apertum ſit, ne Ebur inter urendum nigreſcat, in fornace, figuli aut alio forti calore ad perfectionem, i. e. albedinem calcinetur, tandem cum aqua Roſacea lævigetur & exſiccetur.

Abſorbet & adſtringit, datur ad ſcrupulum, ad drachmam ſemis.

ELATERII PRÆPARATIO.

Succus fructus Cucumeris ſylveſtris maturi digeritur in Balneo Mariæ, usque dum clarefiat, ſeparatur a fæcibus & inſpiſſatur.

Violentum eſt purgans humorum præſertim ſeroſorum. Hodie tantummodo aliis purgantibus ſtimuli loco ad grana aliquot additur.

EMVLSIO VIOLATA MYNSICHTI.

℞. Amygdalarum dulcium unciam unam,
Seminis Violarum drachmas duas,
Papaveris albi drachmam unam,
Aquæ Violarum uncias octo,
Lactucæ,
Nymphææ ana uncias quatuor.

Fiat Emulſio, quæ edulcoretur Julepo Violarum q. ſ. ad gratiam.

Refrigerat, humectat, ſitim ſedat, ſomnumque conciliat & dolores mitigat. Doſis hauſtus mediocris, ſcilicet duarum, trium vel quatuor unciarum.

EPATIS LVPI PRÆPARATIO.

Epar Lupi Vino odorato lotum exſiccetur in furno, poſtea Abſinthio circumdatum reponatur.

Commendatur in affectibus hepatis & lienis, ad drachmam & ultra, quantum autem valere poſſit facile patet.

ERINACEI VSTIO

Fit in novo fictili vitreato, usquedum in cinerem redigatur.

Commendatur præſertim in lectum mingentibus, ad drachmam ſemis &c.

FLORES BENZOIN.

℞. Benzoe tritum & immitte ollæ acuminatæ, cui alembicus chartaceus in pyramidis formam aſſurgens adaptatus ſit, poſtea ignis adhibeatur lenis, ſic flores nivei aſcendent, quos ſæpius collige.

Poſſunt & flores obtineri ſi Benzoe per retortam deſtilletur.

Vires florum, qui gaudent aciditate, pectorales ſunt & aſthmaticis conducibiles, utplurimum tamen becchicis immiſceri ſolent. Doſis grana tria, ad decem.

FLORES SALIS ARMONIACI SIMPLICES.

Parantur recipiendo Salis Armoniaci atque Salis communis decrepitati partes æquales, quæ immittendæ in cucurbitam vitream aut terream alembico cæco munitam, atque ſublimandæ ab initio igne leni, poſtea gradatim aucto

aucto, atque tam diu continuato, donec nihil amplius elevetur, quo facto, refrigeratis vaſis flores eximendi atque in phiola optime clauſa aſſervandi.

Stomachici ſunt atque febrifugi, vim obtinent etiam diaphoreticam. Doſis eſt ad grana tria, quatuor, ſcrupulum ſemis & ultra.

FLORES SALIS ARMONIACI CVM CINERIBVS CLAVELLATIS.

Fiunt recipiendo loco Salis Cineres clavellatos.

Magis ſunt volatiles.

FLORES SALIS ARMONIACI MARTIALES.

Fiunt recipiendo loco Salis decrepitati ſquammas ſeu Limaturam Ferri, aut etiam Lapidem Hæmatitem.

Penetrantiores habentur floribus ſimplicibus. Ex capite mortuo per deliquium obtinetur Liquor Martialis ſtypticus.

FLORES SVLPHVRIS SIMPLICES.

℞. Sulphuris communis in fruſta confracti quantum vis.

Injice in cucurbitam terream vitreatam & impoſito alembico vitreo, ex arena ſublima, igne non nimium intenſo, ne ſulphur fluat, quod ita in flores ſublimatur, qui repetitis ſæpe alternis alembicorum vicibus ſunt colligendi & denuo Sulphuris ſubinde aliquid cucurbitæ immittendum, quousque ſufficiens florum quantitas collecta fuerit.

In tuſſi, phthiſi & aſthmate, affectibus catarrhalibus & febribus commendantur. Doſis eſt ad ſcrupulum, ad drachmam ſemis.

GALREDA SIVE GELATINA CORNV CERVI SIMPLEX.

℞. Raſuræ Cornu Cervi uncias ſex,
Aquæ fontanæ libras duas.

Infunde tepide & coque lento igne (vaſe clauſo) ad tres vel quatuor horas, ut fiat Gelatina.

Convenit in multis & magnis morbis, ubi humectandum, refrigerandum, confortandum & adſtringendum. Doſis cochlear unum vel alterum, vel per ſe vel in juſculo.

HERBÆ VULNERARIÆ.

℞. Herbæ Agrimoniæ,
Bugloſſæ,
Saniculæ,
Alchymillæ,
Pulmonariæ maculoſæ,
Veronicæ,
Betonicæ,
Capillorum Veneris,
Vincæ pervincæ,
Farfaræ ana manipulos quatuor,
Florum Bellidis,
Farfaræ ana manipulos duos.
Miſce.

Vires ex nomine patent. Uſurpantur vel in infuſo Theiformi, vel potiones vulnerariæ decoquun-

tur, ubi uncia ad libras duas ſumi poteſt.

HIRVNDINVM USTIO.

Pulli Hirundinum ita jugulentur, ne ſanguis perdatur; ac in novo fictili vitreato urantur, cinisque ſervetur.

Commendantur ad memoriam roborandam, & ad viſum confortandum; laudantur etiam ad inflammationes faucium & imprimis ad epilepſiam. Rarius per ſe uſurpantur. Ingrediuntur Pulverem Epilepticum nigrum Küfferi.

INFVSVM NEPHRITICVM BOECLERI.

℞. Rhabarbari optimi drachmas tres,
Baccarum Juniperi unciam unam,
Caſſiæ ligneæ unciam ſemis,
Seminis Aniſi,
Fœniculi,
Zingiberis,
Cinamomi,
Galangæ ana drachmam unam,
Macis,
Seminis Petroſelini ana ſcrupulos duos,
Liquiritiæ,
Mithridatii ana drachmas tres.

Conciſis & contuſis ſuperfunde Spiritus Vini libram unam, ſtent in leni digeſtione per tres dies, aliquoties de die agitando, adde poſtea Vini Malvatici libras tres, ſtent per quatuordecim dies in digeſtione, poſtea colentur.

Laudatur in calculo, tum curative tum præſervative, ut & in ſabulo & arenulis everrendis. Doſis ad cochlear unum, ad duo &c. Adhibetur vel per ſe, vel cum vehiculo.

LAC SIVE MAGISTERIVM SVLPHVRIS.

℞. Florum Sulphuris unciam unam,
Salis Tartari aut Nitri fixi uncias tres.

Miſceantur, & cum aquæ communis libris tribus bulliant, usque dum Sulphur ſolutum ſit & liquor colorem rubicundum obtineat: poſtea filtrentur calide per chartam emporeticam, & ſuperfuſo Aceti deſtillati ſufficiente quantitate præcipitabitur pulvis lacteus Sulphuris; qui poſtquam ſubſederit, liquore ſupernatante depleto, cum aqua fontana debite edulcoretur & exſiccetur.

Conducere dicitur in pectoris atque pulmonum affectibus, catarrhis, aſthmate, phthiſi, tuſſi. Laudatur quoque in colica, ad ſanguinem purificandum & putredinem arcendam. Doſis ad ſcrupulum ſemis, ad ſcrupulum unum, ſed caute.

LAPIDES PRÆPARATI.

Parantur ut dictum ſub Coralliis.

LAPIS

LAPIS CALAMINARIS PRÆPARATVS.

Abſtergit & exſiccat, prodeſt in intertrigine infantum, & excoriationibus perinæi, ingreditur Unguenta Epulotica & Sarcotica. Interne nunquam uſurpatur.

LAPIS CARNEOLVS PRÆPARATVS.

Sanguinem ſiſtit, & adſtringit, ad drachmam ſemis, ad drachmam exhibitus.

CRYSTALLVS MONTANA PRÆPARATA.

Paratur calcinando prius Cryſtallum, poſtea cum aqua Bugloſſi lævigando.

Acidum abſorbet & adſtringit, dolorem & ardorem Ventriculi corrigit, Lac quoque augere dicitur. Datur ad drachmam ſemis, ad drachmam unam.

CHRISOLITHVS.

Vires cordiales & adſtringentes adſcribuntur, rarius per ſe præſcribitur

GRANATVS.

Laudatur tanquam cordialis & adſtringens.

HÆMATITES PRÆPARATVS.

Cum aqua Burſæ paſtoris lævigatur.

Uſus potiſſimum pro ſcopo adſtringendi.

HYACYNTHVS PRÆPARATVS.

Gaudet virtute adſtringente & juxta quosdam alexipharmaca, inde Confectio de Hyacyntho paratur.

LAPIS JVDAICVS PRÆPARATVS.

Dyſuriæ aliisque renum & veſicæ affectibus, imprimis calculo, dicatur a vulgo. Doſis ad ſcrupulum, ad drachmam.

LAPIS LAZVLI PRÆPARATVS.

Vires adſcribuntur ei cordiales, cephalicæ & antimelancholicæ, alvum laxat & vomitum quandoque movet. Rarius per ſe datur. Ingreditur Confectionem Alkermes.

LAPIS LYNCIS PRÆPARATVS.

Virtute Lithontriptica neſcio quali gaudere dicitur. Doſis ut Lapidis Judaici.

LAPIS MAGNETIS PRÆPARATVS.

Cum ſit naturæ martialis adſtringit & aperit. Aliæ virtutes videntur ſuperfluæ.

LAPIS NEPHRITICVS PRÆPARATVS.

Laudatur in affectibus nephriticis, urina pellenda & calculo, tum præſervando, cum curando.

LAPIS PERCARVM.

Præparatur ut Oculi Cancri.

Et ſimili fere virtute pollet eademque doſi exhibetur.

LAPIS RVBINI PRÆPARATVS.

Cordialis & adſtringens habetur.

LAPIS SAPPHIRVS PRÆPARATVS.

Iisdem virtutibus ac antecedens præditus cenſetur.

LAPIS SMARAGDVS PRÆPARATVS.

Præter virtutem cordialem, antepilepticam, quam tribuunt communiter, adſtringit.

LAPIS TOPASIVS.

Iisdem virtutibus fere ac Chryſolithus præditus eſſe fertur.

LAPIS INFERNALIS.

℞. Lunæ cupellatæ limatæ unciam unam,

Diſſolve in Spiritus Nitri aut Aquæ fortis quantitate ſufficiente, poſtea partem tertiam humiditatis evapora, reſiduum infunde crucibulo & igni moderato impone tamdiu quousque inſtar Olei compareat, mox effunde in canalem cylindraceum aptum ſevo illitum & calefactum, poſt refrigerationem Lapis eximatur & in vitro bene clauſo ſervetur, alias deliquium ſubiret quandoque.

Cauterium hocce Lunare communiſſimum hodiernis temporibus mollem depaſcitur cutis carnisque ſubſtantiam, & excreſcentiis, verrucis & fiſtularum, ulcerum, vulnerumque calloſis oſtiis abſumendis, fonticulisque excitandis inſervit.

LAPIS MARTIALIS IN GLOBVLIS.

℞. Tartari pulveriſati,
Limaturæ Martis depuratæ ana unciam unam.

Affunde Spiritum Vini ad eminentiam trium digitorum, macerentur per viginti quatuor horas. Poſtea adde adhuc Spiritus Vini quantitatem ſufficientem coque & Spiritum Vini evapora, ex paſta autem forma globulos.

Inſervit imprimis pro uſu externo ad vulnera & hæmorrhagias, diſſolvitur in Aqua & Spiritu Vini usque dum liquores bene ſaturati ſint, & tum imbuuntur linteamina & applicantur, vel liquor injicitur ad hæmorrhagiam uteri & nimium menſium fluxum, interne quoque conducere poteſt ad grana decem, quindecim & ultra.

LAPIS MEDICAMENTOSVS CROLLII.

℞. Vitrioli viridis libram unam,
albi libram ſemis,
Aluminis libram unam ſemis,
Anatron ſive Fellis Vitri,
Salis communis ana uncias duas,
Tartari,
Abſinthii,
Artemiſiæ,

Cichorii,

Cichorii,
Perſicariæ,
Plantaginis ana unciam ſemis.

Ponantur in olla vitreata, affunde modicum Aceti roſacei, coque igne carbonum lento, ſæpius agitando, ubi incipit ſpiſſeſcere adde

Ceruſſæ libram ſemis,
Boli Armenæ uncias quatuor.

Diligenter miſceantur omnia donec vi ignis mediocris in lapidis duritiem maſſa concreverit, qui Lapis poſtea fracta olla eximendus & ad uſus ſuos ſervandus.

Virtutes hujus Lapidis variæ ſunt, tollit ulcera & defluxiones exſiccat, vulnera & ulcera inveterata curat ut &, eriſypelas, ſcabiem, tineam, ſerpiginem. Adhibetur etiam ad cancrum mammarum, ſcorbutum oris, conducit ad lachrymas oculorum reſtinguendas & rubedinem tollit: Modus utendi hic eſt: Liqueſcat ejus uncia una in libra una aquæ pluvialis vel fluviatilis, filtretur, & poſtmodum filtrato liquore utere tum lavando tum linteolo imbuendo & imponendo.

LAPIS SILEX USTUS.

Calcinatur & ignitus in aqua aliquoties extinguitur.

Inſervit ad liquorem ſilicum parandum.

LAPIS SPECULARIS IN PULVERE.

Calcinetur prius & poſtea pulveriſetur.

LIMATURÆ CHALYBIS CUM ACETO PRÆPARATIO.

Limatura Chalybis repurgata cum Aceto conſpergatur quotidie & exſiccetur, trita rurſus humectetur Aceto & exſiccetur, hocque tamdiu continuetur, donec in Crocum fuerit mutata.

Cum nihil ſit quam Crocus Martis, iisdem quoque viribus gaudet & eadem doſi adhibetur.

LIQUAMEN FLORUM VERBASCI.

℞. Florum Verbaſci contuſorum quantum placet. Indantur vitro claudendo & Soli exponendo. Intra duorum menſium ſpatium liquor habebitur.

Hoc remedium eſt egregie demulcens & anodynum in doloribus quibusvis arthriticis, dentium, hæmorrhoidum &c. vi quoque vulneraria gaudet.

LIQUOR APERITIVUS MINERALIS.

℞. Salis Cathartici amari unciam unam,
Tartari Vitriolati,
Arcani duplicati ana unciam ſemis.

Diſſolve in aquæ fontanæ unciis decem.

Aperit, urinam ciet & alvum laxat & expurgat. Doſis ad uncias duas, ad uncias tres.

LIQVOR CORNV CERVI SVCCINATVS.

℞. Salis Succini volatilis,
Cornu Cervi volatilis ana.

Diſſolvantur in Spiritu Cornu Cervi rectificato, tum poſt digeſtionem deſtillando evocatur Liquor Cornu Cervi ſuccinatus.

Qui conducit in corrigendo acido, præprimis puerorum, in motibus convulſivis & epilepticis, ut & morbis ſoporoſis prodeſt. Datur ad guttas aliquot, ad quindecim & ultra.

LIQVOR NITRI FIXI.

Nihil aliud eſt quam ſolutio Nitri fixi per deliquium. Paratur autem hoc modo

NITRVM FIXVM.

℞. Nitri quantum placet, repleatur eo crucibulum, ut dimidia pars vacua remaneat, ne inter ebulliendum oras crucibuli Nitrum transgrediatur, imponatur crucibulum carbonibus ardentibus, & quando Nitrum fuſum eſt, atque in fluore exiſtit, injiciatur cochleare carbonum pulveriſatorum, qui maximum cum Nitro ſtrepitum atque flammam excitabunt, quibus finitis de novo pulvis carbonum injiciatur, injectioque tam diu continuetur, donec nulla amplius flamma, nullus amplius ſtrepitus obſervetur, tum continuanda adhuc pauliſper calcinatio & poſtea Nitrum ſub maſſa evirideſcente eximendum, ſolvendum atque filtrandum. Liquor filtratus ad ſiccitatem evaporandus, & remanebit Sal fixum, quod in loco frigido facile deliqueſcit in liquorem a Glaubero tanquam celeberrimum menſtruum alkalinum Alcaheſt vocatum.

A Sale Tartari ratione virtutum & doſeos non multum diſcrepat.

LIQVOR NITRI ANTIMONIATI FIXI.

Paratur ut antecedens.

Gaudet quoque iisdem fere virtutibus.

LIQVOR SIVE SAL VOLATILE OLEOSUM SYLVII.

℞. Cinnamomi acuti uncias duas,
Caryophyllorum aromaticorum,
Nucis Moſchatæ,
Macis,
Corticum Aurantiorum exteriorum recentium ana unciam unam,

Ci-

Cinerum clavellatorum uncias ſedecim.

Inciſa & contuſa digerantur per noctem cum Spiritus Vini vulgaris menſura una, poſtea additis Salis Ammoniaci cum aqua fontana ſoluti unciis octo, lento igne deſtillentur Liquoris circiter unciæ decem, pro uſu in vitro probe clauſo reponendæ.

Eſt cephalicum, ſtomachicum, carminativum & anticolicum, ſanguinem craſſum atque lentum incidit, ejusque circulum conſervat atque promovet. Doſis guttæ decem, viginti & ultra, in vehiculo conveniente.

LIQVOR SPLENETICVS EX TARTARO ET NITRO SCHROEDERI.

℞. Tartari libram unam,
Nitri libram ſemis.

Miſce exacte injice crucibulo ignito, vel immitte in ollam & carbone ardente accende, ſic detonabuntur invicem. Hinc pulveriſa ac affunde aquæ ferventis libras quatuor, digere in loco calido agitando, poſtea colentur. Tandem adde Tartari libram unam, digerantur per dies octo, poſtea filtrentur pro uſu.

Inſigne eſt deoppilativum lienis, aliarumque tartarearum obſtructionum, meſenterium maxime infeſtantium, adeoque utile in hypochondriaca ſcorbuticaque affectione ac menſium obſtructione, & affectione nephritica. Doſis cochlear ſemis ad unum vel ad drachmas duas, ad unciam ſemis cum aliis appropriatis vehiculis.

LIQVOR VISCERALIS.

℞. Corticum Citri recentium,
Aurantiorum recentium ana uncias ſex.
Infunde in Spiritus Vini rectificatiſſimi quantitate ſufficiente,
Tunc adde Salis Tartari,
Armoniaci ana libram ſemis,
Nucis Moſchatæ uncias quatuor,
Cinamomi,
Macis ana unciam unam.
Deſtilla.
Spiritui prolecto adde
Olei Cinamomi drachmam ſemis,
Aquæ Naphæ uncias ſex,
Et iterum deſtillatio inſtituatur, poſtea ſervetur uſui.

Vires habet cephalicas, cardiacas, ſtomachicas atque hyſtericas. Doſis eſt ad guttas viginti, triginta & ultra.

LVMBRICORVM TERRESTRIVM PRÆPARATIO.

Lumbrici cum Vino toties lavantur, donec omnem impuritatem

tatem depoſuerint, deinde ſiccantur.

Ob Sal volatile nitroſum aperiunt, diuretici & diaphoretici ſunt ut & anodyni.

MAGISTERIVM CORALLORVM RUBRORVM.

℞. Corollarum rubrorum quantitatem ſufficientem.

Superinfuſo Aceto deſtillato, in calore fiat eorum ſolutio, Acetum adfundendo, ad ſolutionem debitam. Liquori filtrato inſtilletur Oleum Tartari, ut pulvis præcipitetur, qui aqua fontana probe edulcoratus ſiccetur.

Eadem ratione parari ſolent:

MAGISTERIVM MATRIS PERLARVM UT ET OCVLORVM CANCRORVM.

Inſignes quidem huic & ſimilibus Magiſteriis a quibusdam adſcribuntur virtutes, cor. lætificandi fortificandique ut & reſiſtendi venenis. In hæmorrhagiis atque dyſenteriis laudantur. Doſis eſt ad ſcrupulum ſemis, ad drachmam ſemis. Quid autem ejusmodi calces acido ſaturatæ & inſolubiles quaſi factæ præſtare poſſint facile videre eſt.

MAGISTERIVM CORNV CERVI AVGVSTANORVM.

Fiat ut Magiſterium Corallorum. Ita etiam fiunt.

MAGISTERIA CRANII HVMANI ET EBORIS.

Hoc quoque & duo ſubnexa inter remedia cephalica atque cardiaca recenſentur, ſed idem ac de prioribus judicium. Illa retinere juſſit plebs.

MAGISTERIVM SIVE RESINA JALAPPÆ.

℞. Radicum Jalappæ quantum libet.

Craſſiuſcule contuſis adfundatur Spiritus Vini optime rectificatus, ut tres vel quatuor digitos ſupereemineat. Stent in infuſione in loco calido per aliquot dies, poſtea colentur cum forti expreſſione, extractionem hanc toties repetendo, quousque Spiritus Vini non amplius tingatur, Spiritus Vini deſtillando ſeparetur, reſinoſa ſubſtantia Jalappæ in fundo cucurbitæ hærens aqua clara aliquoties lavetur, ſiccetur & pulveriſetur. Sic obtinetur Reſina quando hæc reſina per aquam infuſam in Spiritum Vini ad fundum præcipitatur dicitur Magiſterium.

Purgat egregie in ſubjectis convenientibus exhibitæ. Doſis ad grana tria, decem, octodecim, ad ſummum, diſſolvitur in liquore ſpirituoſo ardente. Si cum vehiculo aqueo velis exhibere teratur vel cum nucleis pineis, amygdalis &c. vel cum vitello ovi diſſolvatur prius.

MAGISTERIVM SIVE RESINA SCAMMONEI.

Paratur eodem modo ac Reſina Gialappæ.

Exhibetur quoque eodem modo ac eadem doſi.

MAGISTERIVM MARCHASITÆ SIVE COSMETICVM CLAVII.

℞. Marchaſitæ pulveriſatæ quantum vis, ſolve in Aqua Forti, vel Spiritu Nitri, præcipita cum Oleo Tartari per deliquium, præcipitatum edulcora & exſicca.

Coſmeticum eſt, faciem reddit albicantem, Gallis appellatur blanc d'Eſpagne, ſumitur drachma Magiſterii ad uncias quatuor aquæ florum Fabarum aut Liliorum alborum, & ad unciam unam Unguenti Pomatini. Nimis continuato uſu faciem defoedat & cutim craſſiorem reddit. Præfertur tamen aliis coſmeticis albedinem conciliantibus, eo quod melius extendi poſſit & adhæreat melius.

MAGISTERIVM SATVRNI.

Solutioni Saturni cum Aceto factæ inſtilla Oleum Tartari & præcipitabitur pulvis albicans.

Coſmeticum eſt ut antecedens, ſed citius nocet.

MANDIBVLARVM LVCII PISCIS PRÆPARATIO.

Fit ut præparatio Dentium Aprorum.

Abſorbent acidum, & hinc ſanguinem congrumatum diſſolvunt, unde in inflammationibus, pleuritide &c. commendantur, præſertim ob ſignaturam. Doſis ſcrupulus, drachma ſemis, ad drachmam.

MANNA LIQVIDA.

℞. Mannæ Calabrinæ uncias duas,
Cremoris Tartari drachmas duas,
Aquæ Fragariæ uncias quinque.
Miſce.

Doſis per ſe ad unciam unam, ad uncias quatuor. Commiſcetur etiam aliis laxantibus atque purgantibus.

MANNA TABVLATA ATQVE TARTARISATA.

Tabulæ fiunt ex Manna ſoluta & purgata, quæ in Tabulas effunditur: ad Mannæ unciam unam Cremoris Tartari drachmam unam recipiendo fit Manna Tartariſata.

Doſis utriusque ad unciam unam, ad tres, pro ſcopo purgandi.

MARGARITÆ PRÆPARATÆ.

Lævigantur cum Aqua Roſarum.

Vires obtinere dicuntur cardiacas, doſis ad ſcrupulum, ad drachmam ſemis.

MATER PERLARVM PRÆPARATA.

Fit eodem modo.

Abſorbet, datur ad drachmam usque.

MASSA AD FORNACEM.

℞. Gummi Benzoes electi,
Storacis Calamitæ ana uncias quatuor,
Ladani unciam unam,
Olei deſtillati Cinamomi guttas decem,
Ligni Rhodii guttas viginti,
Balſami Peruviani quantum ſatis,
Moſchi grana quindecim.

Fiat lege artis Maſſa, formenturque inſtar Ceræ Hiſpanicæ baculi fornaci affricandi.

Uſum nomen indicat.

MERCVRIVS CORROSIVUS SVBLIMATVS.

℞. Mercurii purificati,
Vitrioli calcinati,
Salis depurati & decrepitati ana libram unam.

Terantur & miſceantur in mortario lapideo cum piſtillo ligneo tamdiu, donec Mercurius non amplius conſpiciatur, & una cum prædictis ſpeciebus in pulverem abeat. Trita materia in cucurbita, dando in arena ignem per gradus ad octo vel decem horas, ſublimetur.

Interne non aſſumitur, quoniam ob virtutem corroſivam facile necem infert. Externe a quibusdam adhibetur ad ulcera venerea, ſordida, cruſtoſa &c. ingreditur ſic dictam Aquam Phagædenicam, imprimis autem inſervit ad parandum Mercurium dulcem.

MERCVRIVS DVLCIS SVBLIMATVS.

℞. Mercurii ſublimati corroſivi uncias ſex,
Argenti vivi & bene purgati uncias quatuor, vel quantum Mercurius ſublimatus per trituram recipere poteſt, ut in pulverem cineritium ſimul abeant, qui in cucurbita vel aliis vaſis vitreis, igne arenæ per gradus adhibito, ſublimetur, & pulvere rubro in fundo, ut & albo vitri collo adhærente rejecto, ſolum coagulum criſtallinum retineatur & hæc ſublimatio ter absque ullo alio additamento repetatur.

Interius aſſumptus blandum eſt purgans, pituitam tenacem incidens atque expellens, obſtructiones reſerat, ſanguinem depurat & in vermibus maxime convenit. Late datur in ſcabie & lue venerea, Infantibus quoque tuto dari poteſt. Datur ad grana duo, tria, ad ſcrupulum unum & ultra. Externe prodeſt quoque in ſcabie & aliis cutis infectionibus.

MERCVRIVS PRÆCIPITATVS ALBVS.

℞. Mercurii uncias quatuor.
Diſſolve in Aquæ fortis ſufficienti

cienti quantitate, poſtea aqua ſalſa in album pulverem præcipita, (addendo ad omnem Mercurium præcipitandum aliquid Spiritus Salis Armoniaci) qui ab omni ſalſedine & acrimonia debite cum aqua communi eluatur & exſiccetur calore leni ne flaveſcat.

Adhibetur a quibusdam ad ſalivationem excitandam, ad grana quatuor, ad quindecim, vomitum movet atque ſeceſſum, ſed interne non debet exhiberi. Externe adhibetur contra lichenes & ad pruritum, in emolliendis tumoribus induratis, in tophis, præſertim venereis, & in ſcabie profunda.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER.

℞. Mercurii purificati libram ſemis.

Diſſolve in Aquæ fortis ſufficienti quantitate, deſtilla ex retorta in arena ad ſiccitatem, igne forti ad extremum adminiſtrato. In fundo hærebit pulvis ruber præcipitatus, qui longa adhuc adhibita digeſtione & calcinatione egregie ſplendet.

Sunt qui eo utuntur interne ad ſalivationem excitandam, exhibendo ad grana quatuor, ſex &c. ſecurior tamen ejus uſus eſt externus. Habet vim cathæreticam, auferendi excreſcentias carnoſas, quas blande & ſine dolore corrodit, unde fiſtulis, puſtulis, carunculis & aliis defœdationibus conducit, ſi quis interne exhibere velit, ille Spiritum Vini alcoholiſatum aliquoties deſuper conflagrare ſinat quo mitior evadat. Hoc modo autem præparatum Mercurium præcipitatum rubrum ob colorem vocant

ARCANUM CORALLINUM.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS VIRIDIS.

℞. Mercurii purificati uncias quatuor.

Solve in Aqua forti, in eadem Aqua forti ſolve & Veneris unciam ſemis, conjunge ſolutiones ac abſtrahe in arena, urgendo in fine ignem, ut maxima pars Spirituum tollatur. Præcipitatum exſicca ac digere cum Aceto deſtillato in Mariæ Balneo per diem & noctem, ultimo fac bullire, ut puriſſima pars Mercurii in Aceto deſtillato ſolvatur, hinc decanta & abſtrahe atque ſicca ſine lotione.

Specificum habetur remedium in gonorrhœa virulenta, quam nempe nimiam tollit, inſufficientem promovet. Inſervit etiam ad luem veneream, ad ulcera venerea, phimoſin &c. Purgat per ſuperiora atque inferiora. Doſis eſt ad grana duo, ſex &c.

MERCURIUS VITÆ.

Oleo ſive Butyro Antimonii infunde Aquam, ac ſtatim pulvis albus præcipitabitur, qui abluatur donec nullam amplius acrimoniam ſapiat, deinde exſiccetur.

Hoc remedium, alias quoque PULVIS ALGAROTH *dictum, nihil aliud eſt quam Antimonium corroſum & per aquam præcipitatum. Vires obtinet per ſuperius atque inferius guttur purgandi. Doſis granum dimidium, granum unum, duo, tria, quatuor. Ob vim autem draſticam, maligna ſæpius ſymptomata ſecum trahentem, haud raro evadit Mercurius mortis.*

MILLEPEDUM SIVE ASELLORUM PRÆPARATIO.

℞. Aſellorum elotorum, ſive Millepedum quantum volueris; moderato calore exſiccentur & pulveriſentur, poſtea impraegnentur Vino Malvatico, quantum imbibere poſſunt, iterumque exſiccentur, qui irrorationis & exſiccationis labor tertia vice repetatur.

Ob Sal nitroſo volatile aperiunt, mucilaginem reſolvunt, abſtergunt, vimque obtinent diureticam, laudantur in calculo, aſthmate, angina, febribus intermittentibus &c. Dantur ad ſcrupulum, ad drachmam ſemis.

MIVA CYDONIORUM SIMPLEX.

℞. Succi Cydoniorum depurati libras duodecim,
Sacchari libras ſex.

Coquantur ad juſtam conſiſtentiam.

Adſtringit & roborat, unde in affectibus ventriculi laudatur.

MIXTURA SIMPLEX,

SPIRITUS DIATRION, SEU DE TRIBUS.

℞. Spiritus Tartari rectificati uncias tres,
Vitrioli unciam unam,
Aquæ Theriacalis Camphoratæ uncias quinque,

Miſce.

Magnarum dicitur eſſe virium, in morbis acutis & continuis, etiam malignis, ſudorem egregie movet, commendatur ad reſerandas obſtructiones, in apoplexia, epilepſia, affectibus catarrhalibus &c. Doſis ad guttas decem, uſque ad drachmam.

MUCHARUM ROSARUM SIVE INFUSIO ROSARUM.

℞. Florum Roſarum Damaſcenarum recentium quantum libet, exempli gratia, libras duodecim.

Contundantur & macerentur horis viginti quatuor, in totidem Aquæ claræ ferventiſſimæ libris, poſtea exprimantur, additisque Sacchari albi libris duabus, in Syrupum ſecundum artem coquantur.

Pro ſcopo laxandi adhiberi poteſt ad aliquot uncias.

NITRUM ANTIMONIATUM.

Aqua ab edulcoratione Antimonii diaphoretici, Specifici ſtomachici,

machici, Specifici antihectici, Bezoardici mineralis relicta exhalando ſuppeditat Nitrum Antimoniatum.

Refrigerat, convenit in febribus intermittentibus, in inflammationibus, angina &c. urinam quoque pellit: in ſubſtantia datur ad grana ſex, ad ſcrupulum unum &c. Exterius immiſcetur epithematibus & enematibus.

NITRVM PERLATVM.

℞. Nitri depurati uncias tres,
Margaritarum præparatarum drachmas tres.
Miſce fiat pulvis.

Refrigerat & vires cordiales obtinere dicitur, commendatur in febribus continuis & malignis. Doſis eſt ad grana quinque, ſcrupulum unum &c.

NITRVM PRÆPARATVM.

Vide ſub Sale aut Lapide Prunellæ.

OCVLI CANCRORVM PRÆPARATI.

Fiunt illos cum aqua Fragariæ deſtillata in porphyrite terendo inque alcohol redigendo.

Abſorbent acidum & tranſpirationem promovent. Doſis ad ſcrupulum, ad drachmam unam.

OESYPI COLLECTIO.

Lanæ ſuccidæ, hoc eſt nondum purgatæ, quæ ex collo, coxis & alis Ovium defatigatarum fuerit detonſa, adfundatur aqua fervens pluries & lavetur diligenter, quousque omnem ſuam pinguedinem depoſuerit. Poſtea expreſſa Lana ſeponatur & aqua illa pinguis & ſordida ex vaſculo aliquo diutiſſime ex alto fundatur & refundatur donec ſpumoſa fiat, ac tum ſpuma ſinatur ſubſidere, colligatur aquæ innatans pinguedo, iterumque aqua refundatur, donec ſpumet ac ſubſidens pinguedo auferatur, quod tamdiu fiat, donec non amplius ſpumet & nulla concreſcat ſupra aquam pinguedo. Tum collectam pinguedinem cum ſpuma in aqua pura manu ſubigendo lavare ſordesque immixtas ſæpius aquam renovando auferre decet, donec pura effluat, deinde reponatur in fictili denſo, frigido loco.

Emollit & reſolvit, hinc in tumoribus, imprimis angina, illinitur.

OLEVM MYRRHÆ PER DELIQVIVM.

Decoquantur ova, usque dura fiant, deinde ſecentur ſecundum longitudinem in duas partes æquales & exemptis vitellis repleantur, dum adhuc calent, pulvere Myrrhæ: deinde ſibi invicem rurſus committantur dicta albumina diviſa, filoque circumcirca conſtricta in cella ſuſpendantur, aut baculis aliquot in patina vitrea aut lapidea diſpoſitis imponantur & in locum humidum frigidumque reponan-

ponantur,ſic Myrrha in liquorem reſoluta in vas ſuppoſitum deſtillabit.

Oleum hoc eximium cenſeturin infectionibus cutaneis, facit ad delendas maculas faciei & in ſpecie a Sole contractas. Adhibetur ad ſcabiei curationem &c. Conducit quoque in fiſſuris papillarum.

OLEVM SILICVM.

Nihil aliud eſt quam Liquor Silicum cum Cineribus clavellatis calcinatorum.

℞. Silicum ignitorum & pulveriſatorum uncias quatuor,
Cinerum clavellatorum libras duas.

Miſce exacte & in crucibulo igne forti per plures horas calcina,donec materia exiſtat diaphana. Poſtea materiam hanc refrigeratam in cellam vel alium locum frigidum repone,ſic per deliquium ſolvetur in liquorem filtrandum & aſſervandum.

Dicitur eſſe remedium diureticum, ad guttas decem, viginti & ultra exhibitum.

OLEVM TARTARI PER DELIQVIVM.

Eſt Sal Tartari fixum in aere absque additione aquæ liquatum.

ORBICVLVS SACCHARINVS LAXATIVUS.

Recipit Reſinam Gialappæ & quidem minoris virtutis grana tria, mediæ grana quinque, ſummæ grana ſeptem.

Vires ex nomine patent, dantur pro ratione ætatis.

PANACÆA MERCVRIALIS.

Nihil aliud eſt quam Mercurius dulcis ſepties aut novies adhuc ſublimatus, ultimo autem adhuc dulcificatus per affuſum Spiritum Vini rectificatiſſimum & rurſus inde abſtractum.

Laudatur in morbis venereis, rheumatismis inveteratis, obſtructionibus, ſcorbuto, ſcrophulis, ſcabie, ulceribus antiquis & vermibus. Datur ad grana ſex, ad triginta, quadraginta. Sunt, qui ea utuntur ad ſalivationem excitandam.

PANACÆA SOLUTIVA SIVE MAGNESIA ALBA, QUIBUSDAM PANACÆA ANTIHYPOCHONDRIACA.

℞. Lixivioſum eumque perſpicuum Salis Nitromitræ Liquorem (ſive Matricem nitrariam,) qua quidem libuerit quantitate, coque ad ſpiſſitudinem in Ceramio ſatis amplo. Pultem dein hanc in pyramide triangula oſtracina liqua, atque a ſylveſtribus paulatim phasmatibus libera, ſive tamdiu cal-

calcina, donec nulli amplius vapores rubicundi exhalent, quo facto adhuc urge ignem & tandem confeſtim Panacæam ex hoc liquore præcipita, id eſt ſucceſſive cochleatim in aquam tepidam injice, ſic præcipitabitur pulvis. Debita hinc facta elutriatione & edulcoratione in pulverem impalpabilem converte, quem tandem uſui in vaſis probe clauſis aſſerva.

Remedium eſt alcalinum aptum, ut Zwingerus loquitur, omnem acorem, acredinem & ſalſedinem viſcidam humorum in corpore humano abſorbendi, invertendi, edulcorandi ac blando motu utplurimum e corpore ducendi. Mundificat quoque ſanguinem atque ad balſamicam ſuam dulcenem reducit. Doſis ad drachmam ſemis, drachmas duas, prout nunc pro ſcopo alterandi, nunc pro ſcopo laxandi datur. Exhibetur vel in juſculo, vel infuſo Thée, vel aqua, ſive fontana ſimplici, ſive deſtillata, aut aqua minerali, vel etiam in emulſione Amygdalarum dulcium tenuiore.

PANIS CYDONIORVM
SINE ET CVM AROMATIBVS.

Eſt nihil aliud quam pulpa Cydoniorum cocta, per cribrum trajecta & ad conſiſtentiam ſiccam vel cum vel ſine aromatibus redacta.

PASSVLÆ PVRGANTES.

℞. Foliorum Sennæ Alexandrinæ uncias quatuor,
Cinamomi electi,
Zingiberis ana ſcrupulos quatuor,
Aquæ Endiviæ libras duas ſemis.

Infundantur per horas octo, deinde ebulliant ac leniter exprimantur: huic decocto addantur
Sacchari albi unciæ quatuor,
Paſſularum minorum mundatarum libra una,

Atque poſt juſtam coctionem reponantur. Proſtant cum & ſine brodio.

Alvum laxant & expurgant. Dantur ad unciam ſemis, ad unciam unam &c.

PELLICVLARVM STOMACHI GALLINÆ
PRÆPARATIO.

Laventur, poſtea exſiccentur & reponantur pro uſu.

Vires obtinent adſtringendi corroborandique ventriculum, adeoque vomitum & fluxum alvi compeſcendi: dantur cuſpidatim, ad drachmam ſemis, drachmam unam.

PHLEGMA ALVMINIS.

Prodit primo in deſtillatione Spiritus.

Refrigerat & ſitim ſedat & adſtringit, uſurpatur præſertim in Julepis. Exterius conducit in laxitate gingivarum & ſcorbuto oris.

PHLEGMA VITRIOLI.

Prodit quoque primum in deſtillatione Spiritus Vitrioli.

In nimia ſanguinis ebullitione & in intemperie, uti loquuntur, calida bilioſa, in febribus &c. ad plures guttas commendatur.

PLVMBI USTIO ET LOTIO.

Plumbum cum Sale calcinatur, liquato enim Plumbo ſenſim Sal commune inſpergitur & ſpatula continuo agitatur, donec Plumbum in pulverem abeat, qui beneficio aquæ ſimplicis a Sale liberatus colorem cineritium acquirit.

Exſiccat, immiſcetur unguentis & emplaſtris.

PVLMONIS VULPIS PRÆPARATIO.

Coquitur in decocto Abſinthii cum Vino, fumo induratur ac ſic a putredine præſervatur.

Habetur ſpecificum a quibusdam thoracicum in aſthmate, tuſſi & phthiſi, abſtergit enim, ut dicunt, & conſolidat. Datur ad drachmam & ultra pro doſi. Quantum remedium ſit & quantum aliorum animalium pulmonem antecellat ratio & experientia dictitat.

PVLPA CASSIÆ.

℞. Cannas ſeu ſiliquas Caſſiæ ponderoſas, & quæ concuſſæ non reſonant, aperi, & contentam in eis Pulpam, ſeu medullam cum laminis & ſeminibus diligenter excava: exemta projice ſuper inverſum & anguſtum cribrum contextum & paulatim aqua calida irrora, averſoque cochlearis convexo medullam Caſſiæ hinc inde ducito, ut per cribrum paulatim excernatur. Præſtiterit tamen recentes ſemper Caſſiæ flores educere, cum diutius repoſiti protinus aceſcant.

Temperatæ naturæ exiſtit, alvum leniter ſubducit & acrimoniam ſeri demulcet, urinam ciet, unde in affectibus partium urinariarum & pectoris conducit. Doſis eſt ad drachmas duas, ad unciam unam ſemis.

PULPA CASSIÆ
SIVE
CASSIA EXTRACTA PRO CLYSTERIBUS.

℞. Herbarum Violariæ,
Malvæ,
Mercurialis,
Betæ,
Parietariæ,
Florum Violarum ana manipulum unum.

Fiat omnium decoctio in aqua ſufficiente, quo decocto Caſſia extra-

extrahatur & Cannæ ejus laventur: deinde

℞. Pulpæ Caſſiæ cum hac decoctione extractæ & ad ſpiſſitudinem coctæ libram unam,
Sacchari Thomæi libram unam ſemis.

Coque ad perfectionem, ut eſt artis.

Immiſcetur clyſteribus ad unciam unam, ad uncias duas.

PVLPA PRVNORVM.

℞. Prunorum magnorum vinoſorum, iſt eſt, Damaſcenorum ſive Hungaricorum recentium quantitatem quam voles, & exemtis nucleis, in fictili vitreato magno percoquito: deinde per cribrum ſetaceum trajicito, expreſſam pulpam denuo lento igne ad perfectam & juſtam ſpiſſitudinem coquito, addendo Sacchari tertiam circiter partem, vel ad Pulpæ libras decem, Sacchari libras tres: ita enim melius conſervatur, ne ſitu corrumpatur.

Refrigerat, ſitim ſedat, alvumque laxat, datur ad drachmam, drachmas duas & ultra; pro ſcopo vero laxandi ad unciam unam & duas.

Eodem fere modo fit

PVLPA PASSVLARVM.

Quæ iisdem etiam viribus gaudet.

Nec aliter paratur

PVLPA CITRI.

Cordialis eſt & ſtomachica, quæ tamen recenter ſolet ſemper parari.

PVLPA TAMARINDORVM.

Extrahitur eodem modo, quo Pulpa Caſſiæ.

Præterquam quod benignam vim laxandi obtineat, ſuavi quoque ſua aciditate acrimoniam humorum mitigat, & in febribus quoque biliosis propterea prodeſt: datur pro ſcopo laxandi ad unciam ſemis, ad unciam unam ſemis.

PVLTICVLA DE MANNA.

℞. Mannæ Tabulatæ unciam unam,
Solve in Aquæ Acaciarum parum Sacchari albi unciam unam,
Pulveris Marchionis ſcrupulum unum,
Olei Amygdalarum dulcium unciam ſemis.
Miſce.

Laxat alvum leniter & absque multis torminibus, adhibetur præſertim in infantibus tenellis ad drachmas duas, unciam ſemis &c.

PVLTICVLA DE TRAGACANTHA.

℞. Aquæ Menthæ,
Meliſſæ,
Anagallidis,
Pæoniæ,
Syrupi Papaveris rheados,
Sacchari albiſſimi ana uncias duas,
Tragacanthæ albæ unciam ſemis.

Miſce & coque ad debitam conſiſtentiam.

Convenit in doloribus abdominis & inteſtinorum in infantibus, ut & in tuſſi a materia acri, in affectibus renum & veſicæ: datur ad cochlear dimidium ad unum.

RADICVM ARI PRÆPARATIO.

Radices Ari optime mundatæ teſſelatimque inciſæ macerentur in vino albo, ſpatio viginti quatuor horarum, poſtea effundatur vinum per inclinationem & ita repetatur ſecunda & tertia vice ſemper affundendo novum vinum, tunc exſiccentur radices, ſerventurque ad uſum. Qui vero non retuſas in radicibus iſtis vires expetit, & aliorum connubio ſalinarum acrium ſpicula diſcontinuando mitiores tantum reddere voluerit, ille non ſimpliciter radices exſiccando, ſed easdem prius ab exteriori pellicula liberando opus peragat.

Ob partes acres & piperinas quaſi incidit mucum viſcidum, unde ſtomacho egregie ſuccurrit, appetitum excitando & coctionem juvando. Aperit præterea, unde morbis ab obſtructione ortis, cachexiæ, hydropi, aſthmati medetur, datur ad ſcrupulum pro doſi.

RADICVM CORTICVM ESVLÆ PRÆPARATIO.

Eſulæ Radices bene mundatas infunde vel irrora tridui ſpatio in Aceto Vini acerrimo, deinde exſiccentur & ſerventur uſui.

In morbis a ſeroſa colluvie oriundis uſurpatur, in infuſis aut decoctis ad aliquot drachmas.

RADICVM HELLEBORI ALBI ET NIGRI PRÆPARATIO.

Radices Hellebori albi & nigri, demta lignea medulla, triduo in Vino Cydoniorum macerentur, loco tepido, poſtea exſiccentur ac reponantur. Alioquin radices ſic maceratæ pomo demum Cydoniorum infiguntur, quod paſta panis obvolutum in clibano coquitur ad ſufficientiam, radices poſtmodum exemptæ ſiccantur & in uſum aſſervantur.

Helleborus albus ob virulentiam in uſum non amplius venit. Nigri autem fibræ adhuc in uſum contra morbos chronicos & heroicos trahuntur, præſertim in infuſis & decoctis ad drachmas tres, unciam ſemis &c.

RA-

RADICIS SQVILLÆ PRÆPARATIO.

Radix Squillæ involvitur maſſæ panis atque cum eadem in clibano coquitur : hinc eximitur atque lamellatim exſiccatur.

Aperit, attenuat, incidit, abſtergit & diſcutit. In pectoris potiſſimum affectibus, a craſſa viſcida materia oriundis, commendatur.

REGVLVS ANTIMONII.

℞. Antimonii electi libras duas,
Tartari libram unam ſemis,
Nitri uncias ſedecim.

Miſceantur, & in crucibulo ignito detonentur, poſtea igne ſuppreſſionis adhibito in fluorem deducantur, in conum fuſorium calefactum & ſebo illitum effundantur, ut in fundum abeat Regulus, concutiendo, tandem ſcorias ab eo ſeparando, & Regulum aqua abluendo, ex ſcoriis vero aqua ſolutis per præcipitationem cum aceto Crocum emeticum, vulgo Sulphuris Aurati nomine notum, ſeparando.

In uſum internum minime venit, licet vi vomitoria inſigni gaudens. Quod ſi tamen quis eo uti velit, adhibeatur eo modo, ac ea doſi, ut Vitrum Antimonii. Inſervit alias ad pocula & pilulas emeticas perpetuas exinde formandas, & ad varia alia Medicamenta Antimonialia præparanda.

REGVLVS ANTIMONII MARTIALIS STELLATVS.

℞. Clavorum ferreorum purgatorum uncias octo, candefactis in crucibulo injice ſucceſſive,
Antimonii Hungarici uncias ſedecim, optime fuſis adde,
Nitri uncias tres.

Fluant ſic probe per horæ quadrantem, aut ultra, igne ſat forti, ad inſtar aquæ, & tandem in calicem fuſorium, ſævo illitum, fundantur, calicem malleolo, in ipſa infuſione, continuo percutiendo, ſicque promovendo Reguli ſubſidentiam & ſeparationem. Refrigeratis poſt omnibus eximatur tota maſſa, cui in fundo adhærebit Regulus, ſuperiori ſua parte jamdum ſtellam obſcure repræſentans, qui a ſcoriis ſeparandus, & denuo ſecunda ac tertia vice, additis ſemper Nitri duabus vel tribus partibus, fundendus, ac calici fuſorio infundendus eſt; ſingulis autem vicibus ſcorias ſeparando. Sic mox in ſecunda vel tertia fuſione ſtella in ſuperna Reguli parte exacte repræſentabitur, ac ſi arte, juxta dimenſionem, figurata fuiſſet.

Ex hoc Regulo facilius quam ex ſimplici parantur Pocula Emetica, inſervit alias præprimis pro Specifico ſtomachico parando.

REGVLVS ANTIMONII MEDICINALIS.

℞. Antimonii drachmas quinque,
Salis communis drachmas quatuor,
Tartari drachmam unam,

